


· INTERMEDIATE ·  
ORAL · LATIN · READER

WITH VOCABULARY

UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 00578892 2

JONES

2/-



2nd Edition

2/-

Issued also without  
Precedent 2/-







C 737

CICERŌ

Class. Sem.

Lal Gr  
J768i

# INTERMEDIATE ORAL LATIN READER


BASED ON CICERO'S *DE SENECTUTE*, WITH  
EXTRACTS FROM MARTIAL AND HORACE

BY

FRANK JONES, B.A.

Assistant Master of King Edward's School, Aston, Birmingham  
Joint-Author of "Scott and Jones's Latin Courses"  
Author of "A First English Course"

18 1978  
5.7.23



BLACKIE AND SON LIMITED

50 OLD BAILEY LONDON  
GLASGOW AND BOMBAY  
1915

SEEN BY  
PRESERVATION  
SERVICES

DATE

PA  
2095  
J65

By ERNEST H. SCOTT, B.A., AND FRANK JONES, B.A.

---

A FIRST LATIN COURSE. 1s. 6d.

A SECOND LATIN COURSE. Illustrated. 2s. 6d.

A SHORTER SECOND LATIN COURSE. Alternative to  
*A Second Latin Course.* 2s.

A FIRST LATIN GRAMMAR. To accompany and complete  
Scott and Jones's Latin Course. Large 8vo, 2s.

---

BLACKIE & SON, LIMITED, LONDON, GLASGOW, BOMBAY



## PREFACE

---

This Oral Reader is intended for pupils who have a working knowledge of elementary accidence and syntax, but who are not quite ready for a Latin "author" in his entirety. To this category will belong most pupils at the beginning of their third year.

Part I consists of an abridgment of Cicero's *De Senectute*. I have followed the system adopted in our *Second Course* (Scott and Jones), wherein each chapter consists of *Praeparatio*, *Lectio*, and *Interrogatio*. In almost all cases the *Lectio* is just as Cicero wrote it, but for occasional omissions. The *Interrogationes* are printed in full rather than left to the teacher or the class, partly because spontaneous questions thus asked are apt in many cases to be meagre in quality and variety, and partly because of the great advantage of letting the Latin enter through the eye as well as through the ear. Many years' experience in oral Latin teaching has convinced me that the advantages of such a system outweigh any alleged disadvantages, such, for example, as diminution of interest. After the set questions have been asked and answered with books open, the same or other questions may, of course, be asked and answered with books closed, or one of the best pupils may stand out without a book and answer questions asked with or without book by the rest of the class.

I make no apology to lovers of Cicero's charming treatise for having thus butchered it to make an English textbook. The work is full of anecdote and allusion, such as all pupils like; it gives in an interesting and allusive manner a vivid picture of Roman life in many

periods; and it is admirably suited for the method of teaching Latin by question and answer. I think, moreover, that those pupils who in after-life come back to it in its entirety will like it the more and not the less for their early intimate knowledge with the easier portions.

Most of the extracts from Martial will, I think, be found new to elementary Latin teaching. I feel sure that they will be found eminently suitable to middle-form work. They are short and pithy, most of them written in quite simple Latin, and (what will be a novelty in Latin to most pupils) almost all of them witty. It will be something for the pupil to know that the Roman was not always fighting, and that on occasion he found time for his little joke. These extracts should not be consumed in too great quantity, but an occasional epigram of Martial, when the appetite is flagging, should prove an admirable savoury.

Two of the passages from Horace are in the Sapphic metre. This metre I have chosen on account of its simplicity and the ease with which it can be set to modern music. Both Sapphics will be found to go equally well to the well-known tune of *Integer Vitae*.

It is hoped that the Latin footnotes will be found an acceptable innovation. The pupil will have an immediate interest in translating them; that in itself should justify their existence.

Short exercises, each suitable for a night's home-work, are included as an appendix.

I am indebted, once more, to Professor E. V. Arnold for many valuable criticisms and suggestions; to Mr. A. A. Maclardy, M.A., for considerable help with the proofs; to the edition of *De Senectute* by Professor Reid for guidance on certain points of difficulty; and to the invaluable Lexicon of Facciolatus and Forcellinus for many of the Latin footnotes.

FRANK JONES.

BIRMINGHAM, *December*, 1914.

# CONTENTS

---

PREFACE - . . . . .	Page
	3

## PART I

### EX CICERONIS DE SENECTUTE

Paragraphs.	Caput.		
1-3	I	Cicerō de senectūte scrībit . . . . .	7
4-6	II	Catō negat senectūtem sibi grāvem esse - . . . . .	9
7-9	III	Quālēs senēs tolerābilem senectūtem agunt - . . . . .	10
10-12	IV	Dē Themistocle et Quīntō Maximō - . . . . .	12
13-15	V	Dē Placidā ac lēnī senectūte - . . . . .	14
16-18	VI	Dē quattuor causīs cūr senectūs misera videātur - . . . . .	16
19-21	VII	Dē cōnsiliō, auctōritāte, sententiā senum - . . . . .	18
22-24	VIII	Dē memoriā, dē Sophocle, dē agricolīs - . . . . .	20
25-27	IX	Dē senectūte operōsā - . . . . .	22
28-30	X	Dē L. Metellō, Nestōre, M. Catōne ipsō - . . . . .	25
31-33	XI	Dē vīribus corporis et ingenī - . . . . .	27
34-36	XII	Dē tertiā vituperātiōne senectūtis - . . . . .	29
37-39	XIII	Dē sermōnis dēlectātiōne - . . . . .	31
40-42	XIV	Dē ōtiōsā senectūte - . . . . .	33
43-45	XV	Dē agricolārum voluptātibus - . . . . .	34
46-48	XVI	Dē Cŷrī hortō - . . . . .	36
49-51	XVII	Dē senectūtis auctōritāte - . . . . .	39
52-54	XVIII	Dē mortis timōre - . . . . .	41
55-57	XIX	Mors omnī aetāte commūnis est - . . . . .	43
58-60	XX	Dē mortis timōre - . . . . .	45
61-63	XXI	Dē animīs immortālibus hominum - . . . . .	47
64-66	XXII	Dē vitā apud beātōs futūrā - . . . . .	49

## PART II

## E MARTIALIS EPIGRAMMATIS

Paragraphs.		Page
67-94	Epigrammata breviora - - - - -	52
95	Rumpitur invidiā - - - - -	56
96-97	Ad Caeciliānum (Cum tibi) - - - - -	56
98-99	Frāgmentum quod vile - - - - -	57
100-101	Ad Quīntum Ovidium (Sī crēdis) - - - - -	58
102-103	Ad Deciānum (Nē valeam) - - - - -	58
104-105	Ad Caeciliānum (Mille tibi) - - - - -	59
106-107	Ad Lupercum (Occurris quotiēns) - - - - -	59
108-109	Praecō facētus (Venderet excultōs) - - - - -	60
110-116	Epigrammata breviora - - - - -	61
117-118	Issa - - - - -	62
119-120	Erōtion - - - - -	64

## EX HORATI CARMINIBUS

121-122	Dulce et decōrum est - - - - -	65
123-124	Nēmō suā sorte contentus vivit - - - - -	66
125-126	Dē Avāritiā (Perfidus hīc caupō) - - - - -	67
127-128	Dē Moderātiōne (Rēctius vivēs) - - - - -	68
129-130	Dē ōtiō (Otium dīvōs) - - - - -	70
	Notes on Parts I and II - - - - -	73
	Exercises - - - - -	79
	Notes on the Illustrations - - - - -	85

# AN ORAL LATIN READER

---

## Part I

### EX CICERONIS DE SENECTUTE

#### CAPUT I

##### § 1

1. Cicerō dē senectūte aliquid scrībit. 2. Ad Atticum id cōscrīpsit. 3. Onere senectūtis eum levārī vult. 4. Atticus tamen senectūtis onus modicē ac sapienter tulit. 5. Cicerōnī cum dē senectūte aliquid vellet scrībere, Atticus occurrēbat. 6. Uterque eōrum eō librō ūsus est. 7. Cicerōnī librī cōfectiō iūcunda erat. 8. Omnēs senectūtis mōlestiās abstersit. 9. Hunc librum Cicerō ad Atticum mīsīt. 10. Omnem sermōnem M. Catōnī senī tribuit. 11. Sic māiōrem auctōritātem habuit ōrātiō. 12. Laelius et Scīpiō admīrantur quod Catō tam facile senectūtem ferat. 13. Nōn opus est dīcere plūra. 14. Catōnis sermō Cicerōnis sententiam dē senectūte explicat.

##### § 2

#### CICERO DE SENECTUTE SCRIBIT

Nunc vīsum<sup>1</sup> est mihi dē Senectūte aliquid ad tē<sup>2</sup> cōscrībere. Hōc enim onere, quod mihi tēcum commūne est aut iam urgentis aut certē adventantis senectūtis, et


<sup>1</sup> = vīsum est bonum, i.e. mihi placuit.

<sup>2</sup> = ad Titum Pompōnium Atticum quī sexāgēnsimum annum agēbat.

tē et mē ipsum levārī volō; etsī tē quidem id modicē ac sapienter, sicut omnia, et ferre et lātūrum esse certō sciō. Sed mihi, cum dē senectūte vellem aliquid scribere, tū occurrēbās, dignus eō mūnere, quō uterque nostrum commūniter ūterētur. Mihi quidem ita iūcunda hūius librī cōflectiō fuit, ut nōn modo omnēs absterserit senectūtis mōlestiās, sed effēcerit mollem et iūcundam senectūtem. Sed dē cēteris et diximus multa et saepē dicemus: hunc librum dē senectūte ad tē mīsimus. Omnem autem sermōnem tribuimus M. Catōnī senī, quo māiōrem auctōritātem habēret ōrātiō: apud quem Laelium et Scīpiōnem facimus admīrantēs quod is tam facile senectūtem ferat, eisque eum respondentem. Sed quid opus est plūra? Iam enim ipsius Catōnis sermō explicābit nostram omnem dē senectūte sententiam.

## § 3

## INTERROGATIO



Mārcus Porcius Catō

1. Cū vīsum est aliquid dē senectūte scribere?
2. Quō onere Atticum levārī vult?
3. Quō sē levārī?
4. Quōmodo Atticus senectūtem fert?
5. Quāndō Atticus Cicerōnī occurrēbat?
6. Quō mūnere uterque eōrum ūtī poterat?
7. Quālis erat cōflectiō hūius librī?
8. Quid abstersit?
9. Cū Cicerō omnem sermōnem tribuit?
10. Cūr Laelius et Scīpiō admīrantur?
11. Quid explicābit Cicerōnis dē senectūte sententiam?

rōnis dē senectūte sententiam?

## CAPUT II

## § 4

1. Multis senibus senectus odiosa est. 2. M. Catoni haud gravis est. 3. Quis onus Aetnae gravius sustinere potest? 4. Scipio admiratur quod senectus Catoni haud gravis sit. 5. Res haud difficilis est. 6. M. Catoni multum in se opis est ad beatum vivendum. 7. Omnia bona a se ipse petit. 8. Ei nihil malum videtur quod natura afferat. 9. Omnes ut senectutem adipiscantur optant. 10. Alii eam adipiscuntur et cum adepti sint eam accusant. 11. Quam cito senectus obrēpsit! 12. Falsum putas. 13. Pueritiae adulescentia obrēpit. 14. Quotum annum agebat Catō? 15. Annum octogensimum agebat. 16. "Utinam", inquit Catō, "sapientia mea digna esset opinione vestra". 17. Natura est dux optima eamque sequor. 18. Naturae pareo. 19. Poeta iners aliquando extremum actum negligit. 20. Mors sapientem molliter ferenda est.

## § 5 CATO NEGAT SENECTUTEM SIBI GRAVEM ESSE

*Scipio.* Saepē numero admirari soleo cum hoc C. Laelio, M. Catō, quod numquam senectutem tibi gravem esse senserim, quae plerisque senibus sic odiosa est ut onus se Aetnae gravius dicant sustinere.

*Catō.* Rem haud sane difficilem, Scipio et Laeli, admirari videmini. Quibus enim nihil est in ipsis opis ad bene beatumque vivendum, eis omnis aetas gravis est; qui autem omnia bona a se ipsi petunt, eis nihil potest malum videri, quod naturae necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus; quam ut adipiscantur omnes optant, eandem accusant adeptam. Tanta est stultitiae incōstantia atque perversitas. Obrēpere aiunt eam citius quam putāvissent. Primum, quis coegit eos falsum

putāre? Quī<sup>1</sup> enim citius adulēscētia<sup>2</sup> senectūs, quam pueritiāe adulēscētia obrēpit? Deinde, quī minus gravis esset eīs senectūs, sī octīngētēsimū annū agerent quam sī octōgētēsimū? Quōcircā sī sapientiam meam admirārī solētis (quae utinam dīgna esset opīniōne vestrā, nostrōque cognōmine<sup>3</sup>) in hōc sumus sapientēs quod nātūrā optimā ducem, tamquam deum, sequimur, eīque pārēmus: ā quā nōn vērīsimile est, cum cēterae partēs aetātis<sup>4</sup> bene dēscriptae sint, extrēmum āctum tamquam ab inertī poētā esse neglēctum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extrēmum quod ferendum est molliter sapienti.

## § 6

## INTERROGATIO

1. Quis nunquam senectūtem sibi gravem esse sēnsit?
2. Quālis est senectūs plērīsque senibus?
3. Quod onus Aetnā gravius est?
4. Quibus omnis aetās gravis est?
5. Quibus nihil potest malum vidērī?
6. Quid omnēs optant?
7. Quid, senectūte adeptā, faciunt?
8. Quid senectūtem fēcisse dīcunt?
9. Quid pueritiā sequitur?
10. Quid adulēscētiā?
11. Quī sapientiam Catōnis admirātī sunt?
12. Quod cognōmen Catōnī erat?
13. Quam ducem secūtus est?
14. Cui pāruit?
15. Quid facit poēta iners?

## CAPUT III

## § 7

1. Laelius spērāt sē senem futūrū esse.
2. Rogat quibus facillimē ratiōnibus senectūtem ferre possit.
- 3.

<sup>1</sup> = quōmodo.

<sup>2</sup> Usque ad annū septimū homō est *īnfāns*; ā septimō usque ad septimū decimū *puer*; *adulēscēns* usque ad trīcēsimū; *iūvenis* usque ad quadrāgētēsimū quīntū; deinde *senior* et *senex*. Hic *adulēscētia iuvenūtē* comprehendit.

<sup>3</sup> Catō Sapiēs appellātus est.

<sup>4</sup> = vitae.



Ingravēscēns aetās Catōnī haud gravis est. 4. Utrīque iuvenum sermō Catōnis grātus est. 5. Quam longa est ea via quam omnibus ingrediendum est! 6. Quālis est is locus, Catō, quō pervēnistī? 7. Saepē interfui querellis senum. 8. Aliī voluptātibus iuventūtis carent; aliī dīcunt sē spernī. 9. Accūsā, Laelī, quod accūsandum est. 10. Libidō ut vinculum vincit. 11. Senēs libīdinum vinculis laxātī sunt. 12. Id senēs molliter ferre dēbent. 13. Nōn omnēs senēs ā suis dēspiciuntur. 14. Moderātōrum senum senectūs tolerābilis est.

### § 8      QUALES SENES TOLERABLEM SENECTUTEM AGUNT?

*Laelius.* Atquī, Catō, grātissimum nōbīs fēceris, sī, quōniam spērāmus, volūmus quidem certē, senēs fierī, multō ante ā tē didicerīmus, quibus facillimē ratiōnibus ingravēscēntem aetātem ferre possīmus.

*Catō.* Faciam vērō, Laelī: praesertim sī utrīque vestrum, ut dīcis, grātum fūtūrum est.

*Laelius.* Volūmus sānē, nīsi mōlestum est, Catō (tamquam longam aliquam viam cōnfēceris, quam nōbīs quōque ingrediendum sit), istūc, quō pervēnistī vidēre quāle sit.

*Catō.* Faciam ut poterō, Laelī. Saepē enim interfui querellis aequālium meōrum (pārēs autem vetere prōverbiō cum pārībus facillimē congregantur). Aliī dēplōrāre solēbant quod voluptātibus carērent (sine quibus vītam nūllam putārent), aliī quod spernerentur ab eīs ā quibus essent colī solitī. Quī mihi nōn id vidēbantur accūsāre, quod esset accūsandum. Multōs senēs cognōvī sine querellā quī sē et libīdinum vinculis laxātōs esse nōn molestē ferrent, nec ā suis dēspicerentur. Sed omnium istīusmodī querellārum in mōribus est culpa, nōn in aetāte. Moderātī enim senēs tolerābilem senectūtem agunt.

## § 9

## INTERROGATIO

1. Quid spērant Laelius et Scīpiō? 2. Quid ā Catōne discere volunt? 3. Quid respondet Catō? 4. Quae est illa longa via quam utrīque iuvenum ingrediendum est? 5. Dīc mihi illud Catōnis vetus prōverbium. 6. Quibus (ut aliī dīcunt) senēs carent? 7. Quid aliī dē senibus dīcunt? 8. Ubi est culpa ēiusmodī querellārum? 9. Quālem senectūtem agunt senēs moderātī?

## CAPUT IV

## § 10

1. Aliīs propter opēs, aliīs propter dignitātem tolerābilior senectūs vidētur. 2. Themistoclēs Athēniēnsis clārus erat quī magnum splendōrem assecūtus est. 3. Sī ille cīvis parvae urbis fuisset clārus nōn fuisset. 4. In summā inopiā senectūs etiam sapientī gravis est. 5. Insipientī etiam in summā cōpiā senectūs nōn est lēvis. 6. Q. Maximus senex Catōnem iuvenem amāvit. 7. Cōnsule Q. Maximō, Catō ad Capuam prōfectus est. 8. Hannibalem cūctandō vīcit Maximus. 9. Tarentum summā vigilantīā summōque cōnsiliō recēpit. 10. Salinātor, āmissō oppidō, in arcem fūgit. 11. Tarentum ā Salinātōre āmissum recēpit Maximus. 12. Ille in togā ut in armīs praestāns fuit. 13. Cum augur esset: "optimīs auspiciīs" inquit "ea geruntur quae prō rēpūblicā geruntur".

## § 11 DE THEMISTOCLE ET QUINTO MAXIMO

*Laelius.* Est ut dīcis, Catō. Sed fortāsse tibi propter opēs et cōpiās et dignitātem tuam tolerābilior senectūs vidētur; id autem nōn potest multīs contingere.



C 737

HANNIBAL



*Catō.* Est istūc<sup>1</sup> quidem, Laelī, aliquid; sed nēquāquam in istō sunt omnia. Themistoclē<sup>2</sup> fertur Serīphiō<sup>2</sup> cuiādam respondisse cum ille dīxisset nōn eum suā, sed patriae glōriā splendōrem assecūtum: “Nec hercule” inquit “sī ego Serīphius essem, nec tū, sī Athēniēnsis essēs, clārus umquam fuissēs”. Quod eōdem modō dē senectūte potest dīcī. Nec enim in summā inōpiā lēvis esse senectūs potest, ne sapientī quidem: nec īnsipientī etiam in summā cōpiā nōn gravis.

Ego Q. Maximum, eum, quī Tarentum recēpit, adulēscēns senem dilēxī. Annō post cōsul prīmum fuerat, quam nātus sum; cumque eō cōsule adulēscētulus milēs ad Capuam prōfectus sum quīntōque annō post ad Tarentum. Hīc et bella gerēbat ut adulēscēns, cum plānē grandis esset, et Hannibālem iuvenīliter exsultantem<sup>3</sup> patientiā suā molliēbat: dē quō praeclārē familiāris noster Ennius:

Unus homō nōbīs cūctandō restituit rem.<sup>4</sup>  
 Nōn enim rūmōrēs pōnēbat ante salutem  
 Ergō postque magisque virī nunc glōria clāret.

Tarentum vērō quā vigiliā, quō cōsiliō recēpit! Salinātor quī, āmissō oppidō, fūgerat in arcem, glōriāns ita dīxit: “Meā operā, Q. Fabī, Tarentum recēpisti”. “Certē”, inquit Q. Maximus rīdēs: “nam nisi tū āmissēs, numquam recēpissēs”. Nec vērō in armīs praestantior, quam in togā, quī augur cum esset, dīcere ausus est “optimīs auspiciis ea gerī quae prō reipūblicae salutē gererentur; quae contrā repūblicam ferrentur, contrā auspicia ferri”.

<sup>1</sup> = est aliquid in eō quod dīcis.

<sup>2</sup> Serīphus est īnsula parva et ignōbilis maris Aegaei.

<sup>3</sup> ut equus.

<sup>4</sup> repūblicam.

## § 12

## INTERROGATIO

1. Cūr Catōnis senectūs fortāsse tolerābilis vidētur?  
 2. Quid Seriphius quīdam Themistoclī dīxit? 3. Quid Themistoclēs respondit? 4. Quandō senectūs sapientī levis esse nōn potest? 5. Quandō īnsipientī? 6. Quis Tarentum recēpit? 7. Quis, eō cōnsule, ad Capuam prōfectus est? 8. Quis cūctandō rem restituit? 9. Quis Tarentum āmisit? 10. Quō fūgerat ille? 11. Quid Fabiō dīxit? 12. Quid ille respondit? 13. Quae res optimīs auspiciīs geruntur? 14. Quae rēs pessimīs auspiciīs geruntur?

---

## CAPUT V

## § 13

1. Multa dē Maximō dīcō nē putēs miseram fuisse tālem senectūtem. 2. Nōn omnēs possumus Maximī esse. 3. Nōn omnēs possumus pugnās, bella, triumphōs recordārī. 4. Sed omnēs quietē et pūrē et ēleganter agere vītā possunt. 5. Omnēs placidam ac lenem senectūtem habere possunt. 6. Tālis fuit Platōnis senectūs. 7. Isōcratēs librum quārtō nōnāgēsimō annō scrīpsit. 8. Catō ipse quīnque et sexāgintā annōs nātus lēgem suāsit. 9. Magister eius etiam plūrēs annōs complēvit. 10. Vis-ne tū tamdiū esse in vītā? 11. Ennius equī victōris senectūtī senectūtem suam comparat. 12. Ennium bēnē meminī. 13. Ennius LXX annōs vīxit. 14. Paupertās et senectūs maxima ōnera sunt.

## § 14

## DE PLACIDA AC LENI SENECTUTE

Quōrsūm igitur haec tam multa dē Maximō? Quia prōfectō vidētis nefās esse dictū miseram fuisse tālem senectūtem. Nec tamen omnēs possunt esse Maximī ut

urbium expugnātiōnēs, ut pedestrēs<sup>1</sup> nāvālēs-ve pugnās, ut bella ā sē gesta, ut triumphōs recordentur. Est etiam quiētē et pūrē atque ēleganter āctae aetātis placida ac lēnis senectūs: quālem accēpimus Platōnis (senectūtem) quī ūnō et octōgēnsimō annō scribēns est mortuus; quālem Isōcratis (senectūtem) quī librum quārtō nōnāgēnsimō annō scripsisse sē dixit, vixitque quinquennium postea: cuius magister Leontīnus Gorgiās centum et septem complēvit annōs; neque umquam in suō studiō atque opere cessāvit. Quī cum ex eō quaereretur, cūr tandiū vellet esse in vitā: “nihil habeō” inquit “quod accūsem senectūtem”. Praeclārum respōsum et doctō homine dignum!

Quid dīxit Ennius?

Sicut fortis equus, spatiō quī saepe sūprēmō  
Vicit Olympiā, nunc senio cōfectus quiescit.

Equī fortis et victōris senectūtī comparat suam (senectūtem). Quem quidem probē meminisse potestis. Annōs LXX nātus (tot enim vixit Ennius) ita ferēbat duo, quae maxima putantur onera, paupertātem et senectūtem ut eīs paenē dēlectārī vidērētur.

## § 15

## INTERROGATIO

1. Cūr Catō tam multa dē Maximō dicit? 2. Miserane est tālis senectūs? 3. Quās rēs ā sē gestās recordātur? 4. Quālis fuit eius senectūs? 5. Quōtō annō mortuus est Platō? 6. Quōtō annō Isōcratēs librum scripsit? 7. Quot annōs postea vixit? 8. Quot annōs complēvit Gorgiās? 9. Quid ex eō quaesitum est? 10. Quid respondit? 11. Quam lēgem Catō suāsit? 12. Quōmodo suāsit? 13. Cui Ennius senectūtem suam comparat? 14. Quot annōs vixit? 15. Quae onera tūlit?

<sup>1</sup> = terrestrēs.

## CAPUT VI

## § 16

1. Cūr senectūs misera vidētur? 2. Quattuor reperi-  
mus causās. 3. Senectūs nōs ā rēbus gerendīs abstrahit.  
4. Corpus facit infirmum. 5. Nōs privat voluptātibus.  
6. Haud procul abest ā morte. 7. Multae rēs iuventūte  
geruntur; multae infirmīs corporibus animō administran-  
tur. 8. Tālia agēbat Q. Maximus. 9. L. Paulus socer  
erat filiī mei. 10. Cēteri senēs rempublicam cōsiliō et  
auctōritāte dēfēderunt. 11. Appius Claudius caecus erat.  
12. Sententia senātūs ad pācem inclinābat. 13. Cum  
Pyrrhō foedus facere volēbant. 14. Mentēs Rōmānōrum  
stāre rēctae solēbant.



Pyrrhus


## § 17

DE QUATTUOR CAUSIS  
CUR SENECTUS  
MISERA VIDEATUR

Etenim, cum con-  
templor animō, quat-  
tuor reperiō causās cūr  
senectūs misera videā-  
tur: ūnam, quod abstrā-  
hat ā rēbus gerendīs;  
alteram, quod corpus  
faciat infirmius; ter-  
tiam, quod prīvet omni-  
bus fere voluptātibus;  
quārtam, quod haud  
procul absit ā morte.  
Eārum, sī placet, causā-  
rum quanta quamque sit  
iūsta unaquaeque videā-  
mus.

A rēbus gerendīs  
(c 737)





APPIUS CLAUDIUS IN CŪRIAM DĒDŪCITUR

C 737



senectūs abstrahit. Quibus? An eīs, quae iuventūte geruntur et vīribus? Nūllaene igitur rēs sunt senīlēs, quae vel infirmīs corporibus animō tamen administrantur? Nihil ergō agēbat Q. Maximus, nihil L. Paulus pater tuus, socer optimī virī filī meī? Cēterī senēs, Fabriciī, Curiī, Coruncāniī, cum rem pūblicam cōnsiliō et auctōritāte dēfendēbant, nihil agēbant? Ad Appī Claudī senectūtem accēdēbat etiam ut caecus esset; tamen is, cum sententia senātūs inclināret ad pācem cum Pyrrhō foedusque faciendum, nōn dubitāvit dicere illa, quae versibus persecūtus est Ennius:

quō vōbīs mentēs, rēctae quae stāre solēbant  
antehāc, dēmentēs sēsē flexēre viai?

cēteraque gravissimē. Nōtum vōbīs carmen est et ipsius Appī exstat ōrātiō. Atque haec ille ēgit septendecim annīs post alterum cōsulātum, cum inter duōs cōsulātūs annī decem interfuissent cēnsorque<sup>1</sup> ante superiōrem cōsulātum fuisset, ex quō intellegitur Pyrrhī bellō grandem sānē fuisse, et tamen sic ā patribus accēpimus.

## § 18

## INTERROGATIO

1. Quot causās repperit Catō cūr senectūs misera vidērētur? 2. Recitā eās. 3. A quibus rēbus senectūs virōs abstrahit? 4. Quālia sunt corpora senum? 5. Quōmodo senex rem pūblicam dēfendere potest? 6. Quid ad Appī Claudī senectūtem accēdēbat? 7. Quō inclināvit sententia senātūs?

2. rēs gerendae, corpus, voluptātēs, mors.

<sup>1</sup> Quī cēnsū populī agit. Cēnsōrēs quīntō quōque annō creābantur: cīvēsque sic notābant ut senātōrem quī in mōribus dēliquisset senātū eicerent. Pertinēbat etiam ad cēnsōrēs legere senātum, tuērī urbis templā, lēgēs condere aut abrogāre.

## CAPUT VII

## § 19

1. Senectūs in rē gerendā nōn versātur. 2. Nihil-ne gubernātor<sup>1</sup> in nāvīgandō agit? 3. Alii nautae mālōs<sup>2</sup> scandunt, aliī per forōs<sup>3</sup> cursant, aliī sentīnam<sup>4</sup> exhauriunt. 4. Sed gubernātor quiētus in puppī<sup>5</sup> sedēns clāvum<sup>6</sup> tenet. 5. Iuvenēs multa faciunt; gubernātor māiōra et meliōra facit. 6. Cōnsilium, auctōritās, sententia sunt māiōra quam vīrēs, vėlōcitatēs, celeritās corporum. 7. Vīribus, vėlōcitatibus, celeritāte corporum senectūs orbārī solet. 8. Cōnsilio, auctōritāte, sententiā senectūs augērī solet. 9. Carthāgō iam diū bellum cōgitat. 10. Ego Carthāginī bellum iam diū dēnūntiō. 11. Spērō illam excīsum īrī. 12. Apud Lacedaemoniōs eī quī magistrātum gerunt "senēs" nōminantur. 13. Orātōrēs novī, stultī adulēscentulī rem pūblicam saepe amīsērunt.

## § 20

## DE CONSILIO, AUCTORITATE, SENTENTIA SENUM

Nihil igitur afferunt quī in rē gerendā versārī senectūtem negant; similēsque sunt ut sī quī gubernātōrem in nāvīgandō nihil agere dīcant, cum aliī mālōs scandant, aliī per forōs cursent, aliī sentīnam exhauriant, ille autem clāvum tenēns quiētus sedeat in puppī. Nōn facit ea quae iuvenēs: at vērō multō māiōra et meliōra facit. Nōn vīribus aut vėlōcitatibus aut celeritāte corporum rēs magnae geruntur, sed cōnsiliō, auctōritāte, sententiā; quibus nōn modo nōn orbārī, sed etiam augērī

<sup>1</sup> gubernātor est is quī nāvem regit.

<sup>2</sup> mālus est arbor quae māla fert. In nāve *mālus* vēla sustinet.


<sup>3</sup> locus in nāve quī iter nāvem perambulantibus praebet.

<sup>4</sup> (a) fundus nāvis quō aquae sordidae cōfluunt; (b) aqua sordida ipsa quae imā in nave est.

<sup>5</sup> puppis est pars nāvis posterior ubi sedet gubernātor.

<sup>6</sup> clāvus est ea nāvis pars quā gubernātor nāvem regit.

senectūs solet. Nisi forte ego vōbīs, quī et miles et tribūnus et lēgātus et cōsul versātus sum in variō genere bellōrum, cessāre nunc videor cum bella nōn gerō. At Senātūi quae sint gerenda praescribō et quōmodo: Carthāginī male iam diū cōgitantī bellum multō ante dēnūntiō, dē quā verērī nōn ante dēsīnam quam illam excīsam esse cognōverō. Apud Lacedaemoniōs quidem eī, quī amplissimum magistrātum gerunt, ut sunt, sic etiam nōminantur “senēs”.



Nāvis Rōmāna

Cēdō<sup>1</sup> quī<sup>2</sup> vestram rem pūblicam tantam āmīsistis tam citō?

sic enim interrogant in Naevī poētae Lūdō.<sup>3</sup> Respondentur et alia et hōc in primīs:

prōveniēbant orātōrēs novī, stultī adulēscētulī.

## § 21

## INTERROGATIO

1. Quae nautae scandunt? 2. Quō cursant? 3. Quid exhauriunt? 4. Quid tenet gubernātor? 5. Ubi sedet? 6. Quibus rēs magnae geruntur? 7. Quibus orbātur senectūs? 8. Quibus nōn orbātur? 9. Quid senātūi Catō praescripsit? 10. Quid Carthāginī dēnūntiāvit? 11. Quandō dē Carthāgine nōn verēbitur? 12. Quī apud Lacedaemoniōs senēs nōminantur? 13. Quid in Lūdō interrogātum est? 14. Quid respōnsum est?

<sup>1</sup> = dīc mīhi.

<sup>2</sup> = quōmodo?

<sup>3</sup> nōmen cōmoediae ā Naevio scriptae.

## CAPUT VIII

## § 22

1. Senis memoria, nisi exercētur, minuitur. 2. Themistoclis memoria nullō modō minūta est. 3. Num quisquam illō memoriam meliōrem habuit? 4. Nōn solum tē sed etiam patrem tuum et avum nōvī. 5. Quis senex thēsaurī oblitus est? 6. Multī mihi dēbent; ego multīs dēbeō. 7. Propter scribendī studium Sophoclēs rem neglegere familiārem vidēbātur. 8. Patrēs male rem gerentēs in iūdicium vocātī sunt. 9. Sophoclem tamen ā rē familiārī nōn remōvērunt iūdicēs. 10. Poēta Oedipum Colōnēum iūdicibus recitāvit. 11. “Num illud carmen”, quae-sīvit “dēsipientis vidētur?” 12. Senibus absentibus frūctūs nec




Sophoclēs

seruntur, nec percipiuntur, nec conduntur. 13. Omnēs senēs sē annum putant posse vīvere. 14. Multa ā māioribus accēpī, multa etiam posterīs prōdere volō.

## § 23 DE MEMORIA, DE SOPHOCLE, DE AGRICOLIS

At memoria minuitur. Crēdō, nisi eam exerceās aut sī sīs nātūrā tardior. Themistoclēs omnium cīvium percēperat nōmina. Equidem nōn modo eōs nōvī quī sunt, sed eōrum patrēs etiam et avōs. Nec vērō quemquam senem audīvī oblitum quō locō thēsaurum<sup>1</sup> obruisset. Omnia quae cūrant meminērunt; quī sibi, cui ipsi



Agricola et arātrum

dēbeant. Sophoclēs ad summam senectūtem tragoediās fēcit: quod propter studium cum rem negligere familiārem vidērētur, ā filiis in iūdicium vocātus est ut, quemadmodum nostrō mōre male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi dēsipientem ā rē familiārī removērent iūdicēs. Tum senex dīcitur eam fābulam quam in manibus habēbat et proximē scripserat, Oedipum Colōnēum, recitāsse iūdicibus quaesisseque, num illud carmen dēsipientis vidērētur. Quō recitātō sententiis iūdicum est liberātus.

<sup>1</sup>acervus rērum (praesertim pecūniae, aurī, argentī) in futurōs ūsūs reconditārum.

Possū nōmināre ex agrō Sabīnō rūsticōs Rōmānōs, vicīnōs et familiārēs meōs, quibus absentibus numquam ferē ūlla in agrō māiōra opera fiunt, nōn serendīs, nōn percipiendīs, nōn condendīs frūctibus. Quamquam in aliīs minus hōc mīrum est, nēmō enim est tam senex quī sē annum nōn putet posse vīvere; sed idem in eīs ēlabōrant, quae sciunt nihil ad sē omnīnō pertinēre:

serit arborēs, quae alterī saeclō prōsint,

ut ait Stātius noster. Nec vērō dubitat agricola, quamvīs sit senex, quaerentī cui serat respondere: “dīs immortalibus, quī mē nōn accipere modo haec ā māiōribus voluērunt, sed etiam posterīs prōdere”.

## § 24

### INTERROGATIO

1. Minuitur-ne memoria? 2. Quid Themistoclē per-  
cepit? 3. Quōs Catō nōvit? 4. Quid nēmō senex  
obliviscitur? 5. Quae propter Sophoclēs negligere rem  
familiārem vidēbātur? 6. Rē vērā neglēxit? 7. Cūr  
in iūdicium vocātus est? 8. Quid proximē scripserat?  
9. Quid quaesivit? 10. Fābulā recitātā quid ēvenit?  
11. Quae opera in agrō fiunt? 12. Quid omnēs senēs  
putant? 13. Quid dī immortalēs voluērunt?

13. nōn modo bona accipere . . .

---

## CAPUT IX

### § 25

1. Haud sentiō mē tibi esse odiōsum. 2. Hīc adulēs-  
cēns bonā indole praeditus est. 3. Ego tuīs praeceptīs  
gaudeō. 4. Ego vōbīs iūcundus sum, tū mihi iūcundus  
es. 5. Senectūs nōn languida est sed operōsa. 6. Senex  
semper agit aliquid et mōlītur. 7. Solōn cotīdiē aliquid



addidicit. 8. Catō Graecās litterās senex didicit. 9. Catō Graecārum litterārum sitim explēvit. 10. Adulēs-cēns taurī aut elephantī vīrēs nōn dēsīderat. 11. Nec ego vīrēs adulēscentis dēsīderō. 12. Quidquid agis age prō vīribus. 13. Milō athlētās sē exercentēs spectābat. 14. “Lacertī meī” illacrimāns dīxit “mortuī iam sunt.” 15. Milō numquam ex sē sed ex lacertīs nōbilitātus est.

## § 26

## DE SENECTUTE OPEROSA

Quam vitiōsē scribit Caecilius dē senectūte!

Tum equidem in senectā hōc dēputō miserrimum,  
Sentire eā aetāte ipsum esse odiōsum alterī.

Iūcundum potius quam odiōsum. Ut enim adulēscentibus bonā indole praeditis sapientēs senēs dēlectantur,



Puerī in lūdō discunt

leviorque fit eōrum senectūs quī ā iuventūte coluntur et dīliguntur, sic adulēscentēs senum praeceptis gaudent quibus ad virtūtum studia dūcuntur. Nec minus intellegō mē vōbīs quam mihi vōs esse iūcundōs. Sed vidētis ut senectūs nōn modo languida atque iners nōn sit, vērūm etiam sit operōsa et semper agēns aliquid et mōliēns.

Solōnem versibus glōriantem vidēmus, quī sē cotidiē aliquid addiscentem dicit senem fieri: ut ego feci quī Graecās litterās senex<sup>1</sup> didici, quās quidem sic avidē arripui quasi diūturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nōta essent quibus mē nunc exemplis uti vidētis.

Nec nunc quidem vīrēs dēsiderō adulēscētis, is enim erat locus alter dē vitiis senectūtis, nōn plūs quam adulēscēns tauri aut elephantī dēsiderābam. Quod est, eō decet uti et quidquid agis agere prō vīribus. Quae enim vōx potest esse contemptior quam Milōnis?<sup>2</sup> Quī cum iam senex esset athlētāsque sē exercentēs in curriculō<sup>3</sup> vidēret, aspexisse lacertōs suōs dicitur illacrimānsque dīxisse, “at hī quidem mortuī iam sunt”. Nōn vērō tam istī, quam tū ipse, nūgātor,<sup>4</sup> neque enim ex tē umquam es nōbilitātus, sed ex lateribus et lacertis tuīs.

## § 27

## INTERROGATIO

1. Quid apud Caecilium in senectūte miserrimum est?
2. Quid de eā sententiā dicit Catō?
3. Quālibus adulēscētibus senēs dēlectātī sunt?
4. Quōrum praeceptis gāvīsī sunt adulēscētēs?
5. Quis semper agit aliquid et mōlītur?
6. Quid Solōn dē sē dīxit?
7. Quid Catō senex didicit?
8. Quōmodo Graecās litterās arripuit?
9. Cūius vīrēs nōn dēsiderābat Catō?
10. Quōrum vīrēs nōn dēsiderant iuvenēs?
11. Quandō Milō dīxit lacertōs suōs mortuōs esse?
12. Quem Catō nūgātōrem appellat?
13. Unde Milō nōbilitātus est?

<sup>1</sup> ego . . . senex = ego cum senex essem.

<sup>2</sup> Milō athlēta praelārus fuit Graecōrum. Tanta fortitudinis fuit ut taurum in Olympicō certāmine ictū nūdae dextrae occiderit, et per stadī spatium suprā humerōs portāverit, tōtumque eō diē comēderit.

<sup>3</sup> *curriculum* est locus in quō athlētae sē exercent.

<sup>4</sup> homo stultus quī nugās dicit.

## CAPUT X

## § 28

1. Senēs adulēscēntulōs docent, īnstituunt, īnstruunt.  
 2. Multī senēs comitātū nōbīlium iuvenum fortūnātī sunt.  
 3. Virēs senum cōsensuērunt atque dēfēcērunt. 4. Beātī tamen putandī sunt illī. 5. Dēfectiō virium adulēscēntiae vitiīs saepe efficitur. 6. Meministī-ne Lūcī Metelli? 7. L. Metellus vīgintī et duōs annōs sacerdotiō praeerat. 8. L. Metellus extrēmō tempore aetātis optimis viribus erat. 9. Saepissimē Nestor dē virtūtibus suis praedicābat. 10. Nōn verēbātur nē aut īnsolēns aut loquāx vidērētur. 11. Nullis egēbat corporis viribus. 12. Nōn dubium est quīn melle dulciōr flūxerit ōrātiō Nestōris. 13. Agamemnōn optāvit ut brevī tempore Trōia perīret. 14. Catō negat sē eīs esse viribus quibus bellō Pūnicō fuerit.

§ 29 DE L. METELLO, NESTORE, M. CATONE  
 IPSO

An nē eās quidem virēs senectūtī relinquēmus ut adulēscēntulōs doceat, īnstituāt, ad omne offici mūnus īnstruat? Quō quidem opere quid potest esse praeclārius? Mihi vērō Cn. et P. Scīpiōnēs et avī tuī duo, L. Aemilius et P. Africānus, comitātū nōbīlium iuvenum fortūnātī vidēbantur; nec ūllī bonārum artium magistrī nōn beātī putandī, quamvis cōsensuerint virēs atque dēfēcērunt. Etsī ista ipsa dēfectiō virium adulēscēntiae vitiīs efficitur saepius quam senectūtis; libidinōsa enim et intemperāns adulēscēntia effētum corpus trādit senectūtī. Ego L. Metellum meminī puer, quī cum quadrienniō post alterum cōsulātum Pontifex Maximus factus esset vīgintī et duōs annōs eī sacerdotiō praefuit, ita bonis esse viribus extrēmō tempore aetātis ut adulēscēntiam nōn requīreret.

Vidētisne, ut apud Homērum saepissimē Nestor<sup>1</sup> dē virtūtibus suis praedicet? Tertiam enim aetātem hominum vidēbat, nec erat eī verendum nē vēra praedicāns dē sē nimis vidērētur aut insolēns aut loquāx. Etenim, ut ait Homērus, ex ēius linguā melle dulcior fluēbat orātiō; quam ad suāvitātem nūllis egēbat corporis viribus. Et tamen dux ille Graeciae nusquam optat ut Aiācis similēs habeat decem, sed ut Nestōris, quod sī sibi acciderit, nōn dubitat quīn brevī sit Trōia peritūra. Sed redeō ad mē. Quārtum agō annum et octōgēnsimum: hōc possum dīcere, nōn mē quidem eīs esse viribus, quibus aut mīles bellō Pūnicō<sup>2</sup> aut quaestor eōdem bellō aut cōsul in Hispaniā fuerim aut quadrienniō post, cum tribūnus militāris dēpugnāvī apud Thermopylās M'. Glabriōne cōsule; sed tamen, ut vōs vidētis, nōn plānē mē ēnervāvit, nōn afflixit senectūs: nōn cūria virēs meās dēsiderat, nōn rōstra,<sup>3</sup> nōn amīcī, nōn clientēs, nōn hospītēs.

## § 30


## INTERROGATIO

1. Quās virēs senectūtī relinquēmus? 2. Quō senēs illi fortūnātī vīsī sunt? 3. Quā rē defectiō virium saepe efficitur? 4. Quāle corpus trādit senectūtī libīdinōsa adulēscentia? 5. Quāndō L. Metellus Pontifex Maximus factus est? 6. Quot annōs eī sacerdotiō praefuit? 7. Quālibus viribus fuit? 8. Quis saepe dē virtūtibus suis praedicāvit? 9. Quid eī verendum nōn erat? 10. Quid dē eō dixit Homērus? 11. Quid ille ubīque optāvit? 12. Quid nōn dubitāvit? 13. Quāndō Catō quaestor

<sup>1</sup> Graecus praeclearissimus et sapientissimus. Cōsiliō tantum Graecōrum rēbus profuit, ut Agamemnon nōn dubitāret brevī sē Ilium expugnātūrum sī decem sibi contigissent Nestōrēs.

<sup>2</sup> i.e. cum Poenīs factō.

<sup>3</sup> (a) ōs, quō avēs cibum capiunt (dīcitur etiam dē hominibus sed modo in sermone familiārī et per contemptum); (b) pars nāvis in prōrā prōminēns; (c) pulpitum, unde orātōrēs in publicō dīcere solēbant.



C 737

HOMĒRUS



fuit? 14. Ubi fuit cōsul? 15. Ubi tribūnus militāris?  
16. Quibus auxilium dāre poterat?


1. ut + docēre, īstituere, īstruere. 5. post . . . 13. bellum.  
15. apud Ther.

## CAPUT XI

§ 31

### PREPARATIO

1. Ego minus habeo vīrium quam tū. 2. Tantum quantum potest quisque nitī debet. 3. Magnās vīrēs



Olympia

nōn dēsīderō. 4. Milō stadium ingressus humerīs sustinuit  
bovem vīvum. 5. Milō vīrēs corporis, Pŷthagorās vīrēs  
ingenī habuit. 6. Masinissa abhinc nōnāgintā annōs  
nātus est. 7. Sed saepe magnum iter pedibus ingreditur.  
8. Aliquandō in equum ascendit. 9. Numquam capite  
opertō est. 10. Masinissa aliquid prīstinī rōboris cōn-  
servāvit. 11. Appius caecus et senex nec languēscēbat  
nec senectūtī succumbēbat.

## § 32 DE VIRIBUS CORPORIS ET INGENI

At minus habeo virium quam vestrum utervis. Ne vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis: num idcirco est ille praestantior? Moderatio modo virium adsit, et tantum quantum potest quisque nitatur; ne ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiae per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bovem vivum. Utrum igitur has corporis<sup>1</sup> an Pythagorae tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono utare dum adsit; cum absit ne requiras. Audire te arbitror, Scipio, hospes tuus avitus<sup>2</sup> Masinissa<sup>3</sup> quae faciat hodie nonaginta natus annos: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere; cum equo, ex equo non descendere; nullo imbris nullo frigore adduci ut capite operto sit. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

Quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regabat et caecus et senex. Intentum enim animum tamquam arcum habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem sed etiam imperium in suos: metuabant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illa domo mos patrius et disciplina.

## § 33 INTERROGATIO


1. Uter plus virium habet, Caton an Laelius? 2. Quantum quisque nitari debet? 3. Quid Milo humeris sustinuit? 4. Quando viribus uti quisque debet? 5. Quando vires requirere non decet? 6. Quid Masinissa iter pedibus

<sup>1</sup> has corporis = vires corporis Milonis.

<sup>2</sup> Publius Scipio Africanus, avus nostri Scipionis, Masinissae amantissimus fuit.

<sup>3</sup> rex Africanus, hostis primum capitalis populi Romani, deinde usque ad finem vitae eius amantissimus. [*capitalis*: ad caput seu vitam pertinens.]





C 737

P. SCIPIŌ AFRICĀNUS



ingressus fēcit? 7. Quae in senectūte pristinum rōbur cōservant? 8. Quot liberōs habuit Appius? 9. Quī eum metuērunt? 10. Quī eum veritī sunt? 11. Quae rēs in illā domō viguērunt?

2. tantum.

4. dum.

5. cum.

6. equus.

## CAPUT XII

## § 34

1. Tertia vituperatiō senectūtis est quod omnibus voluptātibus careat. 2. Itaque senectūs aufert id quod in adulēscientiā vitiōsissimum est. 3. Haec orātiō mihi trādita est cum adulēscēns essem. 4. Nūlla pestis capitālīor quam corporis voluptās est. 5. Hinc patriae prōditiōnēs nāscuntur. 6. Nihil est tam pestiferum quam voluptās. 7. Ad omnia scelera suscipienda libidō voluptātis impellit. 8. Voluptās saepe omne animī lūmen exstinguit. 9. L. Flāminīnus ē senātū ēiectus est. 10. Secūrī percussit aliquem eōrum quī in vinculis erant. 11. Mortuus rei capitālis damnātus erat. 12. L. Flāminīni libidō cum probrō privātō coniūxit imperī dēdecus.

## § 35 DE TERTIA VITUPERATIONE SENECTUTIS

Sequitur tertia vituperatiō senectūtis quod eam carere dicunt voluptātibus. O praeclārum mūnus aetātis, sī quidem id aufert nobīs quod est in adulēscientiā vitiōsissimum! Accipite enim, optimī adulēscētēs, veterem orātiōnem Archytāe<sup>1</sup> Tarentīni, magnī in primīs et praeclārī virī, quae mihi trādita est cum essem adulēscēns Tarentī cum Q. Maximō: “Nūllam capitālīorem pestem quam corporis voluptātem hominibus” dicēbat “ā nātūrā

<sup>1</sup> Archytās praestantissimus astrologus et Plātōnis amīcus fuit. Horātius eum appellat “maris et terrae numerōque carentis harēnae mēnsorem”.

datam. Hinc patriae prōditiōnēs, hinc rērum publicārum ēversiōnēs, hinc cum hostibus clandestīna colloquia nāscī; nūllum dēnique scelus, nūllum malum facinus esse, ad quod suscipiendum nōn libīdō voluptātis impelleret. Quōcircā nihil esse tam detestābile tamque pestiferum quam voluptātem, sī quidem ea, cum māior esset atque longior, omne animī lūmen exstingueret.”

Invītus fēcī ut fortissimī virī T. Flāminīnī frātre, L. Flāminīnum, ē senātū ēicerem septem annīs post quam cōsul fuisset, sed nōtandam putāvī libīdinem. Ille enim cum esset cōsul in Galliā exōrātus in convīviō ā fēminā est ut secūrī ferīret aliquem eōrum quī in vinculis essent, damnātī rei capitālis. Hic, Titō frātre suō cēnsōre, quī proximus ante mē fuerat, elāpsus est, mihi vērō et Flaccō haudquāquam probārī potuit tam flāgitiōsa et tam perditā libīdō, quae cum probrō prīvātō coniungeret imperī dēdecus.

## § 36

## INTERROGATIO

1. Quae est tertia vituperātiō senectūtis? 2. Cūr Catō senectūtem praeclārum mūnus appellat? 3. Quālis fuit Archytās? 4. Ubi adulēscēns Catō habitāvit? 5. Quae ex voluptāte nāscuntur? 6. Quid nōs ad scelera et facinora suscipienda impellit? 7. Quid voluptās saepe exstīnxit? 8. Quem Catō ē senātū eiēcit? 9. Quandō hōc fēcit? 10. Quis Flāminīnum exōrāvit ut captivum secūrī ferīret? 11. Cūius rei damnātus est? 12. Quid cum probrō prīvātō coniūnxit Flāminīnī libīdō?

1. quod ea . . .

7. lūmen.

9. vii ann. postquam.

## CAPUT XIII

## § 37

1. Senectūs voluptātēs nullās dēsīderat. 2. Senibus nec epulae nec exstrūctae mēnsae nec frēquentia pōcula cāra sunt. 3. Hīs omnibus caret senectūs. 4. Caret etiam vīnulentīā et crūdītātē. 5. Hominēs voluptātibus capiuntur ut hāmō piscēs. 6. Itaque Platō voluptātem “ēscam malōrum” appellat. 7. Nōn est facile blanditiis



Cēna

voluptātis obsistere. 8. Modicīs epulis cum sodālībus epulābar. 9. Aetāte prōgrediente omnia fiunt mītiōra. 10. Nunc etiam convīviis dēlector. 11. Sermōnis aviditātē auget senectūs; cibī aviditātē tollit. 12. Bellum voluptātī nōn indicam. 13. In pōtiōnis et cibī voluptātibus nōn caret omnī sēnsū senectūs.

## § 38

## DE SERMONIS DELECTATIONE

Quōrsūm igītūr tam multa dē voluptātē? Quia nōn modo vituperātiō nullā, sed etiam summa laus senectūtis est quod ea voluptātēs nullās magnō opere dēsīderat.

At caret epulis exstrūctisque<sup>1</sup> mēnsīs, et frēquentibus pōculis. Caret ergo etiam vīnulentia<sup>2</sup> et crūdītate<sup>3</sup> et insomniis. Sed sī aliquid dandum est voluptātī, quōniam eius blanditiis nōn facile obsistimus,—dīvīnē enim Platō “ēscam malōrum” appellat voluptātem, quod eā vidēlicet hominēs capiantur ut hāmō piscēs,—quamquam immoderātis epulis caret senectūs, modicis tamen convīviis potest dēlectārī. C. Duilium, quī Poenōs classe prīmus dēvicerat, redeuntem ā cēnā senem saepē vidēbam puer; dēlectābātur crēbrō fūnālī et tībicine quae sibi nullō exemplō prīvātus sumpserat: tantum licentiae dābat glōria. Sed quid ego aliōs? Ad mē ipsum iam revertar. Prīmum habuī semper sodālēs. Epulābar cum sodālibus omnīnō modicē, sed erat quīdam fervor aetātis, quā prōgrediente omnia fiunt in diēs mītiōra.

Ego vērō propter sermōnis dēlectātiōnem tempestīvīs quoque convīviis dēlector, nec cum aequālibus solum, quī paucī admodum restant, sed cum vestrā etiam aetate atque vōbiscum, habeōque senectūtī magnam grātiam, quae mihi sermōnis aviditatem auxit, pōtiōnis et cibī sustulit. Quod sī quem etiam ista dēlectant (nē omnīnō bellum indixisse videar voluptātī, cuius est fortāsse quīdam nātūrālis modus), nōn intellegō nē in istīs quidem ipsis voluptātibus carere sēnsū senectūtem.

## § 39

## INTERROGATIO

1. Quid est summa laus senectūtis? 2. Quibus rēbus ea caret? 3. Quibus malis caret? 4. Quibus rēbus nōn facile obsistimus? 5. Quō nōmine Plātō voluptātem appellat? 6. Cūr? 7. Quālibus convīviis senectūs dēlectātur? 8. Quis prīmus Poenōs classe dēvicit? 9. Quibuscum epulābātur Catō? 10. Quam ob rem convīviis

<sup>1</sup> mēnsae multīs cibīs cumulatae.

<sup>2</sup> ebrietate.

<sup>3</sup> stomachi morbus ex nimis cibis ortus.





C 737

PLATŌ



dēlectātur? 11. Quid auget senectūs? 12. Quid tollit?  
13. Indicitne bellum Catō voluptātī?

1. quod.

2. mēnsae, pōcula.

3. vīnulentia &amp;c.

## CAPUT XIV

## § 40

1. Multis voluptatibus bona aetas fruitur. 2. Nonnullis non abunde potitur. 3. Sed his ipsis non omnino caret. 4. Nihil est otiosae senectute iucundius. 5. C. Gallus caelum et terram senex dimetiēbatur. 6. Saepe aliquid describere ingressus totam noctem laboravit. 7. Saepe defectiōnes solis praedixit. 8. Livius sex annis ante quam natus sum fabulam docuit. 9. Quid de eo loquar? 10. Multi studiis flagrabant senes. 11. M. Cethegus "Suadae medulla" appellatus est. 12. Quanto studio exercēbatur in dicendo etiam senex! 13. Hae voluptates cum epularum voluptatibus non sunt comparandae.

## § 41

## DE OTIOSA SENECTUTE

Quod si istis ipsis voluptatibus adulescentia fruitur libentius, primum parvulis fruitur rebus, ut diximus; deinde eis quibus senectus, si non abunde potitur, non omnino caret. Si vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosae senectute iucundius. Mori vidēbamus in studio dimetiendi caeli atque terrae C. Gallum familiarem patris tui, Scipio. Quotiens illum lux noctu aliquid describere ingressum, quotiens nox oppressit, cum mane coepisset! Quam delēctabat eum defectiōnes solis et lunae multo nobis ante praedicere!

Vidi etiam senem Livium, qui, cum sex annis ante quam ego natus sum fabulam docuisset, Centone Tudi-

tānōque cōsulibus, usque ad adulēscēntiam meam prōcessit aetāte. Quid dē P. Licinī Crassī cīvilis iūris studiō loquar? aut dē hūius P. Scīpiōnis quī hīs paucīs diēbus Pontifex Maximus<sup>1</sup> factus est? Atquī cōs omnēs quōs commemorāvī hīs studiīs flāgrantēs senēs vīdimus. M. vērō Cethēgum quem rēctē “Suādae medullam”<sup>2</sup> dixit Ennius, quantō studiō exercēri in dicendō vidēbāmus etiam senem! Quae sunt igitur epulārum aut lūdōrum voluptātēs cum hīs voluptātibus comparandae?

## § 42

## INTERROGATIO

1. Quālibus rēbus fruitur adulēscēntia? 2. Senectūs-ne eīs potitur? 3. Quō in studiō C. Gallus mortuus est? 4. Quandō lūx eum oppressit? 5. Quandō nox? 6. Quae praedicēbat? 7. Quī sexto annō ante quam Catō nātus est cōsulēs fuērunt? 8. Quō nōmine Ennius M. Cethēgum appellābat? 9. Quae voluptātēs cum hīs nōn sunt comparandae?

2. Sī nōn abundē.

4, 5. cum.

## CAPUT XV

## § 43

1. Ego voluptātibus agricolārum incrēdibiliter dēlector. 2. Hae voluptātēs ad sapientis vitam proximē accēdunt. 3. Terra numquam sine ūsūrā reddit id quod accēpit. 4. Saepe maximō cum faenōre reddit. 5. In agricolae vitā M' Curius extrēmum tempus aetātis cōsūmpsit. 6. Eius villa ā mē longē nōn abest. 7. Curius ad fōcum sedēbat cum Samnitēs ad eum vērunt. 8. Magnum aurī pondus ad eum attulērunt. 9. Aurum habēre prae-

<sup>1</sup> = iūdex maximus rērum quae ad sacra et religiōnēs pertinent.

<sup>2</sup> id quod est in ossibus animālium.



C 737

CURIŌ, MAGNUM AURĪ PONDUS SAMNITĒS CUM  
ATTULISSENT REPUDIĀTĪ SUNT



clārum non est. 10. Eīs quī habent aurum imperāre praeclārum est. 11. Arantī Cincinnātō nūntiātum est eum dictātōrem esse factum. 12. Quī senātōrēs arcessunt “viātōrēs” appellantur. 13. Nūlla vīta beātor agricolae vītā potest esse.

## § 44

## DE AGRICOLARUM VOLUPTATIBUS

Veniō nunc ad voluptātēs agricolārum, quibus ego incredībiliter dēlēctor, quae nec ūllā impediuntur senectūte et mihi ad sapientis vītā proximē videntur accēdere. Habent enim ratiōnem cum terrā, quae nunquam recūsāt imperium nec umquam sine ūsūrā reddit quod accēpit, sed aliās minōre, plērumque māiōre cum faenōre; quamquam mē quidem nōn frūctus modo, sed etiam ipsius terrae vīs ac nātūra dēlectat. In hāc vītā M' Curius,<sup>1</sup> cum dē Samnītibus, dē Sabīnīs, dē Pyrrhō triumphāvisset, cōnsūmpsit extrēmum tempus aetātis; cūius quidem ego villam contemplāns, abest enim nōn longē ā mē, admirārī satis nōn possum vel hominis ipsius continentiam vel temporum disciplīnam. Curiō ad focum sedentī magnum aurī pondus Samnītēs cum attulissent, repudiātī sunt; nōn enim aurum habēre praeclārum sibi vidērī dixit, sed eīs quī habērent aurum imperāre. Poteratne tantus animus efficere nōn iūcundam senectūtem? Sed veniō ad agricolās, nē ā mē ipsō recēdam. In agrīs erant tum senātōrēs, id est senēs, sī quidem arantī L. Quīntiō Cincinnātō<sup>2</sup> nūntiātum est eum dictātōrem esse factum. A villā in senātum arcessēbātur et Curius et cēterī senēs, ex quō quī eōs arcessēbant “viātōrēs” nōminātī sunt.

<sup>1</sup> ter cōsul factus, annō ducentēsimō nōnāgēsimō, annō ducentēsimō septuāgēsimō quīntō, annō ducentēsimō septuāgēsimō quārtō ante Iēsum Christum nātum.

<sup>2</sup> Cincinnātus bis dictātor factus est; prīmum annō quadringentēsimō quīnquāgēsimō octāvō ante Christum nātum, deinde annō quadringentēsimō tricēsimō nōnō.

Num igitur hōrum senectūs miserābilis fuit, quī sē agrī cultiōne oblectābant? Meā quidem sententiā haud sciō an nūlla beātor possit esse. Semper bonī assiduīque dominī referta cella vīnāria et oleāria<sup>1</sup> est, vīllaque tōta locuplēs est: abundat porcō,<sup>2</sup> haedō, agnō, gallinā, lacte, cāseō, melle. Iam hortum ipsī agricolae succīdiam<sup>3</sup> alteram appellant.

## § 45

## INTERROGATIO

1. Quōrum voluptātibus Catō dēlectābātur? 2. Cūius vīta opīniōne Catōnis ad sapientis vītam proximē accessit? 3. Quantō faenore id quod accipit reddit? 4. Quā in vītā M' Curius extrēmum tempus aetātis cōsūmpsit? 5. Ubi erat eīus vīlla? 6. Quid admirātus est? 7. Ubi sedēbat Curius? 8. Quid fēcērunt Samnītēs? 9. Quid eī praeclārum vīsum est? 10. Quid nōn praeclārum? 11. Quī “viātōrēs” nōminātī sunt? 12. Quō Curius sē oblectābat? 13. Quid est in cellā vīnāriā? 14. Quid in cellā oleāriā? 15. Quae animālia in vīllā sunt? 16. Quō nōmine agricolae hortum appellant?

5. nōn longē aberat . . .

9. eīs imperāre . . .

## CAPUT XVI

## § 46


1. Lege, quaesō, Xenophontis librōs. 2. Multās ad rēs perūtīlēs sunt. 3. Multum in eō librō agricultūram laudat. 4. Xenophontī nihil tam rēgāle quam agricultūra vīsum est. 5. Lysander Sardēs vēnit. 6. Sardibus habitābat Cŷrus. 7. Omnibus in rēbus commūnis ergā

<sup>1</sup> ubi agricola vīnum et oleum condit.

<sup>2</sup> Rōmānī multīs nōminibus quae ad animālia pertinent sēnsū collectīvō singulārīter ūtī solēbant.

<sup>3</sup> succīdia = carō porcī sāle dūrāta.

Lysandrum fuit rēx. 8. C̄yrus agrum cōnsaepserat. 9. Eum diligenter arboribus cōnsēverat. 10. Tum Lysander: Quam diligēns et sollers est is quī illud fēcit! 11. Quam pūrī et suāvēs sunt flōrum odōrēs! 12. C̄yrus praestāns erat et ingeniō et imperī glōriā. 13. C̄yrus omnia illa dīmēnsus erat. 14. Multās illārum arborum sēverat.



C̄yrus venātur

15. Lysander rēgis purpūram intuētur. 16. Quam beātus erat C̄yrus cūius cum virtūte fortūna coniūncta est!

## § 47

## DE C̄YRI HORTO

Multās ad rēs perūtilēs Xenophontis librī sunt, quōs legite, quaesō, studiōsē, ut facitis. Quam cōpiōsē ab eō agricultūra laudātur in eō librō quī est dē tuendā rē familiārī, quī “Oeconomicus”<sup>1</sup> inscribitur! Atque ut intellegātis nihil eī tam rēgāle vidērī quam studium agrī colendī, in eō librō hanc histōriam narrat. C̄yrus minor,

<sup>1</sup> ad rēctam rēi familiāris cūram pertinēns.

rēx Persārum, praestāns ingeniō atque imperī glōriā, cum Lysander Lacedaemonius, vir summae virtūtis, vēnisset ad eum Sardēs eīque dōna ā sociīs attulisset, et cēteris in rēbus commūnis ergā Lysandrum atque hūmānus fuit, et eī quendam cōnsaeptum agrum diligenter cōnsitum ostendit. Cum autem admirārētur Lysander et prōcērītātēs arborum et hūmum pūram et suāvitātem odōrum quī afflābantur ē flōribus, tum dīxit mirārī sē nōn modo diligentiam sed etiam sollertiam ēius ā quō essent illa dīmēnsa atque discrīpta. Cū Cŷrus respondit: Atquī ego omnia ista sum dīmēnsus; meī sunt ōrdinēs, mea discrīptiō; multae etiam istārum arborum meā mǎnū sunt satae. Tum Lysander intuēns purpūram ēius et nitōrem corporis ornātumque Persicum multō aurō multisque gemmīs dīxit: “rēctē vērō tē, Cŷrē, beātum ferunt, quōniam virtūtī tuae fortūna coniūcta est”.

## § 48

## INTERROGATIO

1. Cūius librī legendī sunt? 2. Quō in librō agrīcultūra laudātur? 3. Quod stūdiū eī rēgāle vīsum est? 4. Quis fuit Cŷrus? 5. Quālis fuit? 6. Ubi erat? 7. Quō Lysander iit? 8. Quid attūlit? 9. A quibus? 10. Quid Cŷrus Lysandrō ostendit? 11. Quālēs erant arbōrēs? 12. Quālēs erant ōrdinēs? 13. Quālis erat hūmus? 14. Quāles erant flōrum odōrēs? 15. Quid Lysander mirātus est? 16. Quis illa dīmēnsus est? 17. Quis discrīpsit? 18. Quis arbōrēs sēverat? 19. Quid Lysander dīxit?

11-14. Use adjectives. 15. nōn modo . . . sed etiam. 19. Use passive of *appellō* and *quōniam* clause.



## CAPUT XVII

## § 49

1. Aetās nōn impedit quōminus multa studia teneāmus. 2. M. Valerius Corvus ad centēsimum annum agrī colendī studium perdūxit. 3. Actā iam aetāte agrōs coluit. 4. Mementō mē nōn omnem senectūtem laudāre. 5. Valerī senectūs fundāmentīs adulēscēntiae cōstitutā est. 6. Superior ēius aetās honestē ācta erat. 7. Sic modo fructūs auctōritātis extrēmōs capere potuit. 8. Dē viā eī iuvenēs dēcessērunt. 9. Eum salūtāvērunt, appetiērunt, cōsuluērunt. 10. Saepe iuvenēs eum ad Cūriam dēducēbant. 11. Senātū habitō, eum domum redūcēbant. 12. Athēnīs Athēniēnsis quīdam grandis nātū in theātrum vēnit. 13. Nusquam eī locus datur ā suīs cīvibus. 14. Lacedaemoniī autem omnēs cōsurgunt et senem recipiunt. 15. Athēniēnsēs sciunt quae rēcta sint sed facere nōlunt.

## § 50

## DE SENECTUTIS AUCTORITATE

Hāc igitur fortūnā fruī licet senibus; nec aetās impedit quō minus et cēterārum rērum et in primīs agrī colendī studia teneāmus usque ad ultimum tempus senectūtis. M. quidem Valerium Corvum accēpimus ad centēsimum annum perdūxisse,<sup>1</sup> cum esset āctā iam aetāte in agrīs eōsque coleret; cūius inter primū et sextum cōsulātum sex et quadrāgintā annī interfuerunt. Atque ēius extrēma aetās hōc beātiōr quam media, quod auctōritātis plūs habēbat, labōris minus. Apex<sup>2</sup> est autem senectūtis auctōritās.


Sed in omnī orātiōne mementōte eam mē senectūtem laudāre, quae fundāmentīs adulēscēntiae cōstitutā sit.

<sup>1</sup> sc. agrī colendī studia.

<sup>2</sup> = summitās rei. Hīc est: summa dīgnitās et quasi fastīgium.

Nōn cānī<sup>1</sup> nec rūgae<sup>2</sup> repente auctōritātem arripere possunt, sed honestē ācta superior aetās fructūs capit auctōritātis extrēmōs. Haec enim ipsa sunt honōrābilia, quae videntur levia atque commūnia, salūtārī, appetī, dēcēdī,<sup>3</sup> assurgī,<sup>4</sup> dēdūcī,<sup>5</sup> redūcī, cōnsulī.

Lysander Lacedaemonius dicere solitus est Lacedae-



Theātrum

monem<sup>6</sup> esse honestissimum domicilium senectūtis; nusquam enim tantum tribuitur aetātī, nusquam est senectūs honōrātior. Quīn etiam memoriae prōditum est, cum Athēnīs lūdīs quīdam in theātrum grandis nātū vēnisset, in magnō cōsensū locum nusquam eī datum ā suis cīvi-

<sup>1</sup> dicitur de capillis qui senectute albescunt.

<sup>2</sup> *sulcus* appellatur quae aratrum ducitur; *rūga* est quasi sulcus in cute senum.

<sup>3</sup> ab aliquo qui ei obviam est.

<sup>4</sup> ex sellis cum senex intrat.

<sup>5</sup> ad Cūriam a iuvenibus.

<sup>6</sup> urbem Spartam. *Spartī* dicti sunt a Graecis homines armati quos repente e terra exstitisse fabulantur ex dentibus anguis Cadmi manū satis,

bus, cum autem ad Lacedaemoniōs accessisset, quī, lēgātī cum essent, certō in locō cōnsēderant, cōsurrēxisse omnēs illī dicuntur et senem recēpisse; quibus cum a cūctō cōsensū plausus esset multiplex datus, dīxisse ex eīs quendam Athēniēnsēs scīre quae rēcta essent, sed facere nōlle.

## § 51

## INTERROGATIO

1. Quid aetās nōn impedit? 2. Quōtum ad annum vīxit Corvus? 3. Actā aetāte quid fēcit? 4. Cūr extrēma ēius aetās tam beāta erat? 5. Quō nōmine Catō auctōritātem appellat? 6. Quālis superior aetās auctōritātem capit? 7. Quae sunt honōrābilīa? 8. Ubi maximus honor aetātī tribūtus est? 9. Quis in theātrum vēnit? 10. Quī eī locum dedērunt? 11. Quī nōn dedērunt? 12. Ubi illī sedēbant? 13. Cūr ibi sedēbant? 14. Quid dīxit spectātor quīdam?

1. quōminus. 7. Passive infinitives. 14. Give speaker's own words.

## CAPUT XVIII

## § 52

1. Senēs sunt mōrōsī et ānxiī. 2. Sed mōrōsitās et ānxiētās sunt vitia mōrum. 3. Nōn sunt vitia senectūtis. 4. In mōribus est culpa nōn in senectūte. 5. Haec omnia vitia aliquid excūsātiōnis habent. 6. Aliquandō senēs contemnuntur, dēspiciuntur, illūduntur. 7. Hae omnēs offēnsiōnēs odiōsae sunt. 8. In "Adelphīs" sunt duo frātrēs quōrum alter dūrus, alter cōmis est. 9. Nōn omne vīnum vetustāte coacēscit. 10. Mōdicam sevērītātem in senectūte probō, acerbitātem nūllo modō probō. 11. Quid sibi vult avāritia in senectūte? 12. Quō, stultissime, minus viae restat, eō plūs viāticī quaeris! 13.

Timor mortis nostram aetatem angit. 14. Mors aut negligenda aut optanda est. 15. Neglegenda est si animum exstinguit. 16. Optanda est si aliquo dēducit ubi sit futūrus aeternus.

## § 53

## DE MORTIS TIMORE

At sunt mōrōsī et ānxiī et īrācundi et difficilēs senēs. Si quaerimus, etiam avārī: sed haec mōrum vitia sunt nōn senectūtis. Ac mōrōsitās tamen et ea vitia quae dīxi habent aliquid excūsātiōnis: contemnī sē pūtant, dēspici, illūdi: praetereā in fragilī corpore odiōsa omnis offēnsiō est. Quae vitia tamen omnia dulciōra fiunt et mōribus bonīs et artibus; idque cum in vītā tum in scēnā intellegi potest ex eīs frātribus quī in “Adelphīs” sunt. Quanta in alterō dūritās, in alterō cōmitās!<sup>1</sup> Sic sē rēs habet; ut enim nōn omne vīnum, sic nōn omnis aetās vetustāte coacēscit. Sevērītatem in senectūte probō, sed eam sicut alia modicam; acerbitātem nūllō modō. Avāritia vērō senilis quid sibi velit nōn intellegō. Potest enim quidquam esse absurdius quam quō minus viae restat eō plūs viāticī<sup>2</sup> quaerere?

Quārta restat causa, quae maximē angere atque sollicitam habēre nostram aetatem vidētur, appropinquātiō mortis, quae certē ā senectūte nōn potest abesse longē. O miserum senem, quī mortem contemnendam esse in tam longā aetate nōn viderit! Quae aut plānē negligenda est, si omnīnō exstinguit animum, aut etiam optanda, si aliquo eum dēducit ubi sit futūrus aeternus. Atquī tertium certē nihil inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut nōn miser post mortem, aut beātus etiam futūrus sum?

<sup>1</sup> Sic Dēmea de sē et frātre suō loquitur: Ille suam ēgit semper vītā in ōtiō, in convīviīs; ego . . . saevus, trīstis, parvus, truculentus, tenāx.

<sup>2</sup> quidquid itineris agendī causā necessārium est sive cibus, sive pecūnia, sive vestis.

## § 54

## INTERROGATIO

1. Dic mihi tria vitia senum. 2. Quid excusationis habet morositas? 3. Iusta-ne est illa? 4. Quale est senis corpus? 5. Quales erant duo fratres? 6. Quomodo aetas vino similis est? 7. Cur senex avarus absurdus est? 8. Quid maxime aetatem angit? 9. Cur appropinquatio mortis aut negligenda aut optanda est? 10. Cur Catō nōn timuit?

2. Putant sē + three inf. pass. 6. ut . . . sic . . . 7. quō minus . . . 9. negligenda est si . . . 10. Quia aut . . . aut . . .

## CAPUT XIX

## § 55

1. Mors omni aetati communis est. 2. Senex diu se victurum sperare non potest. 3. Adulescens insipienter sperat. 4. Quid est turpius quam falsa pro veris nuntiare? 5. Quid speras, senex? 6. Non habeo quod sperem. 7. Es multo beator quam adulescens. 8. Ille vult diu vivere, tu diu vixisti. 9. Cuique satis temporis datur. 10. Tota fabula bono histroni peragenda est. 11. Agricola autumnum venisse non dolent. 12. Autumnō agricolae fructus demittunt et percipiunt. 13. Felix est is senex qui multa bona peperit. 14. Non est secundum naturam iuvenibus mori. 15. Ex arboribus poma cruda avulsa sunt. 16. Poma matura ex arboribus deciderunt. 17. Quo propius mortem accedo, videor in portum esse venturus.

## § 56 MORS OMNI AETATI COMMUNIS EST

Sensī ego in optimo filio, tu in fratribus,<sup>1</sup> Scipio,

<sup>1</sup> Hi fratres, alter duodecim, alter quattuordecim annos natus, e vita excesserunt.

mortem omnī aetātī esse commūnem. At spērat adulēscēns diū sē victūrum, quod spērāre īdem senex nōn potest. Insuper spērat; quid enim stultius quam incerta prō certīs habēre, falsa prō vērīs? At senex nē quod spēret quidem habet. At est eō meliōre condiōne quam adulēscēns, quōniam id quod ille spērat hīc cōsecutus est: ille vult diū vīvere, hīc diū vīxit. Hōrae quidem cēdunt et diēs et mēnsēs et annī, nec praeteritum tempus umquam revertitur, nec quid sequātur scīrī potest. Quod cuique temporis ad vīvendum datur, eō dēbet esse contentus. Neque enim histriōnī, ut placeat, peragenda fābula est; modo in quōcunque fuerit āctū probētur: nec sapientī usque ad “plaudite”<sup>1</sup> veniendum est. Breve enim tempus aetātis satis est longum ad benē honestēque vīvendum. Sī prōcesseris longius, nōn magis dolendum est quam agricolae dolent, praeteritā vērni temporis suāvitāte, aestātem autumnūque vēnisse. Vēr enim tamquam adulēscēntiam significat, ostenditque fructūs futūrōs: reliqua tempora dēmetendis fructibus et percipiendis accommodāta sunt. Fructus autem senectūtis est, ut saepe dixī, ante partōrum bonōrum memoria et cōpia. Omnia vērō, quae secundum nātūrā fiunt, sunt habenda in bonīs. Quid est autem tam secundum nātūrā quam senibus ēmorī? quod idem contingit adulēscēntibus adversante et repugnante nātūrā. Quāsī pōma ex arboribus, sī crūda sunt, vī āvelluntur; sī mātūra, dēcidunt: sīc vītā adulēscēntibus vīs aufert, senibus mātūrītās; quae quidem mihi tam iūcunda est ut, quō propius ad mortem accēdam, quasī terram vidēre videar aliquandōque in portum ex longā nāvīgātiōne esse ventūrus.

## § 57

## INTERROGATIO

1. Quid spērat adulēscēns?
2. Quid spērat senex?
3. Quōmodo senex meliōre condiōne est?
4. Quid

<sup>1</sup> extrēma vōx histriōnum in theātrō, perāctā fābulā.

numquam revertitur? 5. Quid sequitur? 6. Quō tempore quisque esse contentus dēbet? 7. Quid stultī agricolae dolent? 8. Quid ostendit vēr? 9. Quibus reliqua tempora accommodāta sunt? 10. Quid senectūtis frūctus est? 11. Quid senibus secundum nātūram est? 12. Quid adulēscētib? 13. Quālia pōma ex arboribus vī āvelluntur? 14. Quālia dēcidunt? 15. Quibus vīs vītam aufert? 16. Quibus mātūrītās?

3. quōniam hīc. 5. nōn scīrī potest . . . 7. acc. + inf. constr.

## CAPUT XX

### § 58

1. Hīc senex rēctē vīvit quia mūnus officī exsequitur et tuētur. 2. Mors senibus nōn appetenda, vīta nōn dēserenda est. 3. Miles dē statiōne discēdere nōn dēbet. 4. Solōnis mors dolōre amicōrum nōn vacāvīt. 5. Ennius nōluit quemquam sē mortuum lacrimīs decōrāre. 6. Dē hāc rē longā disputātiōne nōn opus est. 7. L. Brūtus in liberandā patriā interfectus est. 8. M. Atilius ad supplicium est prōfectus ut fidem hostī dātā conservāret. 9. Duo Scīpiōnēs iter Poenīs corporibus suis obstrūxērunt. 10. L. Paulus morte suā temeritātem collēgae luit. 11. M. Marcellī corpus sepultūrā nōn caruit. 12. Legiōnēs nostrae saepē prōficiscuntur in eum locum unde numquam sunt reditūrae.

### § 59

#### DE MORTIS TIMORE

Senectūtis nūllus certus est terminus, rēctēque in eā vīvitur, quoad mūnus officī exsequi et tuērī possit. Ita fit ut illud breve vītae reliquum nec avidē appetendum senibus, nec sine causā dēserendum sit: vetatque Pytha-

gorās<sup>1</sup> iniussū imperātōris, id est Deī, dē praesidiō et statiōne vitāe discēdere. Solōnis<sup>2</sup> quidem sapientis ēlogium est quō sē negat velle suam mortem dolore amicōrum et lāmentis vacāre. Vult (crēdō) sē esse cārum suis; sed haud sciō an melius Ennius:<sup>3</sup>

Nēmō mē dacrūmīs dēcoret neque fūnera flētū  
Faxit.

Moriendum certē est, et incertum an eō ipsō diē. Mortem igitur omnibus hōris impendentem timēns quī poterit animō cōsistere?

Dē quā nōn ita longā disputatiōne opus esse vidētur cum recorder nōn L. Brūtum,<sup>4</sup> quī in liberandā patriā est interfectus, nōn duōs Deciōs,<sup>5</sup> quī ad voluntāriam mortem cursum equōrum incitāvērunt, nōn M. Atīlium,<sup>6</sup> quī ad supplicium est prōfectus ut fidem hostī dātā cōservāret, nōn duōs Scīpiōnēs,<sup>7</sup> quī iter Poenīs vel corporibus suis obstruere voluērunt, nōn avum tuum L. Paulum, quī morte luit collēgae in Cannēnsī<sup>8</sup> ignōminiā temeritātem, nōn M. Marcellum,<sup>9</sup> cūius interitum ne crūdēlissimus<sup>10</sup> quidem hostis honōre sepultūrae carēre passus est, sed legiōnēs nostrās, in eum locum saepē prōfectās alacri

<sup>1</sup> philosophus praestantissimus quī docuit animās post mortem dē corporibus in corpora trānsire et animās hominum quandōque in bestiās mitti.

<sup>2</sup> Solōn fuit vir Graecus quī Athēniēnsibus lēgēs dedit, annumque ordināvit ac mēnsēs. <sup>3</sup> poēta Rōmānus vetustissimus.

<sup>4</sup> L. Brutus singulārī certāmine cum Arunte, filiō Tarquinī Superbī, interfectus est.

<sup>5</sup> pater et filius, ambō cōsulēs, quī prō patriā tēlis hostium certaeque mortī sē obtulērunt. <sup>6</sup> i.e. Regulum.

<sup>7</sup> Pūblius, pater Africānī, ab Hannibale victus annō ducentēsimō duodecimō ante Christum nātum interfectus est. Eōdem annō Cnaeus, frāter eius, in Hispāniā periit. Vocābulum *Scīpiō* vult dicere *baculus*. Quī primus ita appellātus est inde cognōmen dūxisse dicitur quod patrem caecum prō baculō regēbat.

<sup>8</sup> ad Cannās pertinentī. *Cannae* fuērunt vīcus Apūliae, in Italiā, ubi Hannibal ingentī caede Rōmānōs fūdit.

<sup>9</sup> ab Hannibale summō cum honōre sepultus.

<sup>10</sup> rē vērā Hannibal hōc verbum nōn meruit.



animō et ērēctō, unde sē reditūrās numquam arbitrārentur. Quod igitur adulēscentēs, et eī quidem nōn solum indoctī sed etiam rūsticī contemnunt, id doctī senēs extimēscent?

## § 60

## INTERROGATIO

1. Quamdiū rēctē in senectūte vīvitur? 2. Appetendane senibus senectūs est? 3. Quid vetat Pythagorās? 4. Quid Solōn de suā morte dicit? 5. Quid Ennius? 6. Quōmodo L. Brūtus interfectus est? 7. Cūr M. Atīlius ad supplicium est prōfectus? 8. Quid duo Scīpiōnēs voluērunt? 9. Quid L. Paulus morte suā luit? 10. Cūr Catō legiōnēs Rōmānās recordātus est? 11. Quālēs adulēscentēs mortem contemnunt? 12. Quālēs senēs eam nōn extimēscent?

1. Quoad senex possit . . . 2. nec . . . nec . . . 4. negat.

---

CAPUT XXI

## § 61

1. Dic nōbīs quid dē morte sentiās. 2. Nōn videō cūr id vōbīs dicere nōn audeam. 3. Quō propius ad mortem accēdō, eō melius cernō. 4. Dī immortālēs animōs in corpora hūmāna spargunt ut sint quī terrās tueantur. 5. Sapientēs rērum caelestium ōrdinem imitantur. 6. Philosophōrum nōbilitās mē impellit ut ita crēdam. 7. Mihi persuāsī nōn posse animōs tālium hominum mortālēs esse. 8. Hominēs sciunt plēraque antequam nātī sunt. 9. Celerrimē puerī artēs difficilēs discunt, facile rēs innumerābilēs arripiunt. 10. Multōrum reminiscuntur, paucōrum obliviscuntur. 11. Dormientium animī remissī et liberī sunt. 12. Mox animus sē corporis vinculis relaxābit.

## § 62 DE ANIMIS IMMORTALIBUS HOMINUM

Nōn enim videō cūr quid ipse sentiam dē morte nōn audeam vōbis dicere, quod eō melius mihi cernere videor quō ab eā propius absum. Ego vestrōs patrēs, P. Scīpiō, tūque, C. Laelī, virōs clārissimōs mihi que amicissimōs vīvere arbitror, et eam quidem vītā quae est sōla vīta nōminanda. Crēdō deōs immortalēs sparsisse animōs in corpora hūmāna ut essent quī terrās tuērentur, quīque rērum caelestium ōrdinem contemplantēs eum imitārentur. Nec mē solum ratiō ac disputātiō impulit ut ita crēderem, sed nōbilitās etiam summōrum philosophōrum et auctōritās. Sic mihi persuāsī, sic sentiō, cum tanta celeritās animōrum sit, tanta memoria praeteritōrum futūrōrumque prūdētia, tot artēs, tantae scientiae, tot inventa, nōn posse eam nāturam quae rēs eās contineat esse mortālem: magnoque esse argūmentō hominēs scīre plēraque ante quam nātī sint quod iam puerī, cum artēs difficilēs discant, ita celeriter<sup>1</sup> rēs innumerābilēs arripiant ut eās nōn tum primum accipere videantur, sed reminiscī et recordārī.

Apud Xenophontem autem moriēns Cyrus māior haec dicit: Nōlīte arbitrārī, ō mihi cārissimī filiū, mē cum ā vōbīs discesserō nusquam aut nūllum fore. Nec enim dum eram vōbiscum animum meum vidēbātis, sed eum esse in hōc corpore ex eīs rēbus quās gerēbam intellegēbātis. Eundem igitur esse crēditōte, etiam sī nūllum vidēbitis. Mihi quidem numquam persuādērī potuit animōs dum in corporibus essent mortālibus vīvere, cum exissent ex eīs ēmorī.

Iam vērō vidētis nihil esse mortī tam simile quam somnum. Atquī dormientium animī maximē dēclārant dīvīnitātem suam: multa enim cum remissī et liberī sunt

<sup>1</sup> Ex hīs verbīs intellegī potest Cicerōnem numquam ludī magistrum fuisse.



MĀRCUS ATĪLIUS REGULUS AD AFRICAM REDIT



fütūra prōspiciunt. Ex quō intellegitur quālēs futūrī sint cum sē plānē corporis vinculis relaxāverint.

## § 63

## INTERROGATIO

1. Quid Catō dīcere ausus est? 2. Quandō mors quālis esset melius intellēxit? 3. Quis P. Scīpiō fuit? 4. Quis C. Laelius? 5. Quī animōs in corpora hūmāna spargunt? 6. Cūr hōc faciunt? 7. Quid hominēs imitantur? 8. Quōmodo imitantur? 9. Quid Catōnem impellit ut ita crēdat? 10. Quid magnō argūmentō est hominēs scīre plēraque antequam nātī sint? 11. Quid nōn vidēbant Cŷrī filiū? 12. Quārē animum esse in corpore intellegēbant? 13. Quid Cŷrō persuādērī nōn potuit? 14. Quid mortī simile est? 15. Quid dormientium animī prōspiciunt? 16. Quid ex eō intellegitur?

1. Dep. ques. 2. eō melius . . . quō. 9. nōn solum . . . 13. dum . . . cum . . .

## CAPUT XXII

## § 64

1. Hī praestantēs virī multa cōnātī sunt quae ad posteritātis memoriam pertinēbant. 2. Ad nōs omnēs pertinet posteritās. 3. Cūr tantōs labōrēs domī militiaeque suscēpit Catō? 4. Cūr ōtiōsam aetātem nōn trādūxit? 5. Patrēs vestrōs colō et diligō. 6. Efferror studiō eōs videndī. 7. Cursor ā carceribus<sup>1</sup> ad calcem<sup>2</sup> dēcurrit. 8. Mē vīxisse nōn paenitet. 9. Commorātur fortāsse viātor paucōs diēs in hospitīō, sed domī habitat. 10. Nēmō filiō meō melior nātus est. 11. Corpus eius ā mē cremātum est. 12. Decuit corpus meum ab illō cremārī. 13. Animus eius mē nōn dēseruit; ego quōque


<sup>1</sup> *Carcer* est locus in quō fūrēs detinentur. Praetereā *carcer* vel *carcerēs* appellātur is locus quō clauduntur equī unde ad cursum ēmittuntur. Vidē pāginam quīnquāgēnsimam.

<sup>2</sup> *Calx* erat līnea ducta ex crētā albā eō loco ubi cursūs finis erat.

illūc veniam. 14. Fortāsse errōre dēlector. 15. Sed nēmō hunc errōrem mihi extorquēbit. 16. Nonnūllī philosophī cēnsent mortuōs nihil sentīre. 17. Nōn vereor nē illi mē irrīdeant. 18. Nam sī rēctē dīxērunt nōn sentiam.

### § 65 DE VITA APUD BEATOS FUTURA

Nēmō umquam mihi, Scīpiō, persuādēbit aut patrem tuum Paulum, aut duōs avōs Paulum et Africānum, aut



Africānī patrem, aut patruum, aut multōs praestantēs virōs quōs ēnumerāre nōn est necesse, tanta esse cōnātōs quae ad posteritātis memoriā pertinērent, nisi animō cernerent posteritatem ad sē pertinēre. An cēnsēs, ut dē mē ipsō aliquid mōre senum glōrier, mē tantōs labōrēs diurnōs nocturnōsque domī militiaeque susceptūrum fuisse, sī eīdem fīnibus glōriam meam quibus vītam essem terminātūrus? Nōnne melius multō fuisset ōtiōsam aetātem et quiētam sine ūllō labōre et contentiōne trādūcere? Equidem efferor studiō patrēs vestrōs quōs coluī et dilēxī videndī; neque vērō eōs solum convenīre cupiō quōs ipse cognōvī, sed illōs etiam dē quibus audīvī et lēgī et ipse cōscripsī. Quō quidem mē prōficīscēntem haud sānē quis facile retrāxerit, nec vērō velim, quasi dēcursō spatiō, ad carcerēs ā calce revocārī.

Nōn libet enim mihi dēplōrāre vītam, quod multī et

eī doctī saepe fēcērunt, neque mē vīxisse paenitet, quōniam ita vīxī, ut nōn frūstrā mē nātum existimem, et ex vītā ita discēdō tamquam ex hospitio,<sup>1</sup> non tamquam ē domō; commorandī enim nātūra dēversorium<sup>2</sup> nōbīs, nōn habitandī dedit. O praeclārum diem cum in illud dīvinum animōrum concilium prōficīscar cumque ex hāc turbā discēdam! Prōficīscar enim nōn ad eōs solum virōs, dē quibus ante dīxī, vērū etiam ad Catōnem meum, quō nēmō vir melior nātus est, nēmō pietāte praestantior; cūius ā mē corpus est cremātum, quod contrā decuit ab illō meum, animus vērō nōn mē dēserēns sed respectāns, in ea profectō loca discessit quō mihi ipsī cernēbat esse veniendum. Quod sī in hōc errō, quod animōs hominum immortālēs esse crēdam, libenter errō; nec mihi hunc errōrem, quō dēlector, dum vīvō extorquērī volō. Sīn mortuus, ut quīdam philosophī cēnsent, nihil sentiam nōn vereor nē hunc errōrem meum mortuī philosophī irrīdeant. Haec habuī dē senectūte quae dīcerem, ad quam utinam perveniātis, ut ea quae ex mē audistis rē expertī probāre possītis!

## § 66

## INTERROGATIO

1. Cūr Scīpiōnis pater et reliquī praestantēs virī tanta conātī sunt? 2. Quālēs labōrēs Catō ipse suscēperat? 3. Quō studiō ēlātus est? 4. Quōs etiam convenīre volēbat? 5. Quae volunt dīcere vocābula: *carcer*, *carcerēs*, *calx*, *hospitium*? 6. Quōmodo ex vītā excessit Catō? 7. Ad quōs proficīscētur Catō? 8. Cūius corpus ā Catōne cremātum est? 9. Quid contrā decuit? 10. Quid dē animīs hominum crēdebāt Catō? 11. Quid quīdam philosophī cēnsēbant? 12. Cūr Catō nōn verēbātur nē hunc errōrem philosophī irrīdērent?

1. Quiā cernēbant . . . 6. tamquam . . .

<sup>1</sup> locus ubi hospitēs accipiuntur.

<sup>2</sup> locus ubi ad tempus dēvertimus itineris causā.

## Part II

### E MARTIALIS EPIGRAMMATIS

#### § 67

Nōn amo tē, Sabidī, nec possum dīcere quārē.  
Hōc tantum possum dīcere: nōn amo tē.

#### § 68

Difficilis, facilis, iūcundus, acerbus es īdem;  
nec tēcum possum vīvere, nec sine tē.

#### § 69

Cūr nōn mittō meōs tibi, Pontiliāne, libellōs?  
Nē mihi tū mittās, Pontiliāne, tuōs.

#### § 70

Numquam sē cēnāre domī Philo iūrat: et hōc est.<sup>1</sup>  
Non cēnat quotiēns nēmo vocāvit eum.

#### § 71

Sit tibi terra levis<sup>2</sup> mollique tegāris harēnā,  
nē tua nōn possint ēruere ossa canēs.

#### § 72

Trīstis es, et fēlix; sciat hōc Fortūna, cavētō.<sup>3</sup>  
Ingrātum dīcet tē, Lupe, sī scierit.

#### § 73

Ut recitem tibi nostra rogās epigrammata.<sup>4</sup> Nōlō.  
Nōn audīre, Celer, sed recitāre cupis.

<sup>1</sup> = est vērum.

<sup>2</sup> Litterae S.T.T.L., i.e. *sit tibi terra levis*, saepe in īscriptiōnibus sepulchrōrum inveniuntur.

<sup>3</sup> Cave nē hōc Fortūna discat.

<sup>4</sup> Cūius epigrammata Celer recitāre cupīvit?



## § 74

✓ Semper eris pauper, sī pauper es, Aemiliāne;  
dantur opēs nūlli nunc, nisi dīvitibus.

## § 75

## FALX EX ENSE

Pāx mē certa ducis placidōs curvāvit in ūsūs;  
agricolae nunc sum, mīlitis ante fuī.

## § 76

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plūra,  
quae legis hīc. Aliter nōn fit, Avīte, liber.

## § 77

✓ Quem recitās meus est, ō Fīdentīne, libellus.  
Sed male cum recitās, incipit esse tuus.

## § 78

✓ Scribere mē quereris, Vōlōx, epigrammata longa.  
Ipse nihil scribis: tū breviōra facis.

## § 79

Carmina Paulus emit; recitat sua carmina Paulus.  
Nam quod emās, possis dicere iūre<sup>1</sup> tuum.

## § 80

Dās numquam, semper prōmittis,<sup>2</sup> Galle, rogantī.  
Sī semper fallis,<sup>3</sup> iam rogō, Galle, negā.

## § 81

✓ Quid mihi reddat<sup>4</sup> ager, quaeris, Line, Nōmentānus?<sup>5</sup>  
Hōc mihi reddit ager: tē, Line, nōn videō.

## § 82

✓ Esse nihil dīcis quidquid petis, improbe Cinna.  
Sī nīl, Cinna, petis; nīl tibi, Cinna, negō.

<sup>1</sup> = rītē, rēctē.<sup>2</sup> pollicēris.<sup>3</sup> dēcipis.<sup>4</sup> "Reddere" dīcitur terra quae sēmentem sparsum messe refundit.<sup>5</sup> Nōmentum erat oppidum in Sabīnīs situm, ubi Mārtiālis fundum habēbat.

## § 83

Nōn cēnat sine aprō noster, Tite, Caeciliānus.  
Bellum convīvam Caeciliānus habet.

## § 84

Exigis, ut nostrōs dōnem tibi, Tucca, libellōs.  
Nōn faciam; nam vīs vēndere, nōn legere.

## § 85

Omnia vīs bellē, Mathō, dīcere: dīc aliquandō  
et bēnē; dīc neutrum;<sup>1</sup> dīc aliquandō mālē.

## § 86

Omnia prōmittis<sup>2</sup>, cum tōtā nocte bibistī;  
māne nihil praestās<sup>3</sup>; Postume, māne bibe.

## § 87

## PRAEPARATIO

Rūfus Naeviam magnopere amat. Quidquid Rūfus agit, Naevia semper in mente est. Rūfus quidquid agit, semper dē Naeviā loquitur. Herī epistolam ad patrem suum mīsit. In animō habuit "Pater cārissime" scribere. Rē vērā (nam Naevia, ut semper, in mente erat) scripsit "Naevia, lūx mea! Naevia, lūmen meum!"

## § 88

Quidquid agit Rūfus, nihil est nisi Naevia Rūfō;  
Sī gaudet, sī flet, sī tacet<sup>4</sup>, hanc loquitur.  
Scriberet hesternā patrī cum lūce salūtem<sup>5</sup>  
"Naevia lūx" inquit "Naevia lūmen, avē".

<sup>1</sup> i.e. nec bēnē, nec male.

<sup>2</sup> pollicēris.

<sup>3</sup> fidem nōn praestās.

<sup>4</sup> quia amōrem ergā Naeviam gestū significat.

<sup>5</sup> epistolam quā patrem suum salvum esse optāvit. Rōmānī litteris s.d. vel s.d.p. prō exōrdiō epistolārum ūti saepe solēbant. Hae litterae significant "salūtem dicit (plūrimam)", i.e. *salūtat*, e.g. Cicerō s.d.p. Caesari.

## § 89

Aera<sup>1</sup> domī nōn sunt. Superest hōc, Rēgule, solum.  
ut tua vēndāmus mūnera; numquid emis?<sup>2</sup>

## § 90

Semper agis causās<sup>3</sup> et rēs<sup>4</sup> agis, Attale, semper:  
Est, nōn est<sup>5</sup>, quod agās, Attale, semper agis.  
Sī rēs et causae dēsunt, agis, Attale, mūlās.  
Attale, nē quod agās dēsīt, agās animam.<sup>6</sup>

## § 91

Nūbere vīs Prīscō; nōn mīror, Paula; sapīstī.  
Dūcere tē nōn vult Prīscus, et ille sapit.

## § 92

Uxōrem quārē locuplētē<sup>7</sup> dūcere nōlim  
quaeritis? Uxōrī nūbere nōlo meae.  
Inferior mātrōna suō sit, Prīsee, marītō.  
Nōn aliter fuerint fēmina virque parēs.

## § 93

Trīgintā tōtō mala sunt epigrammata librō:  
sī totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

## § 94

Iactat inaequālem Mathō mē fēcisse libellum.  
Sī vērum est, laudat carmina nostra Mathō.  
Aequālēs scrībit librōs Calvinus et Umber.  
Aequālis liber est, Crētice, quī malus est.

<sup>1</sup> = pecūnia.

<sup>2</sup> Quantā audāciā Mārtiālis hōs versūs scrīpsit! Nōn solum Rēgulī dōna  
vendere vult sed etiam Regulō.

<sup>3</sup> in iūdićiō.

<sup>4</sup> e.g. in senātū vel in forō.

<sup>5</sup> sive est aliquid sive nōn est.

<sup>6</sup> ēmitte spīritum extrēmum.

<sup>7</sup> i.e. multa possidentem, dīvitem.

## § 95

Rumpitur invidiā quīdam, cārissime Iūli,  
 quod mē Rōma legīt, rumpitur invidiā.  
 Rumpitur invidiā, quod turbā semper in omnī  
 mōnstrāmur digitō, rumpitur invidiā.  
 Rumpitur invidiā quod rūs<sup>1</sup> mihi dulce sub urbe est  
 parvaque in urbe domus, rumpitur invidiā.  
 Rumpitur invidiā, quod sum iūcundus amīcīs,  
 quod convīva frequēns, rumpitur invidiā.  
 Rumpitur invidiā, quod amāmur, quodque probāmur.  
 Rumpātur, quisquis rumpitur invidiā.

## § 96

## PRAEPARATIO

Olim Caeciliānus haud dīvitissimus erat. Sex mīlia modo sēstertium habēbat. Tum ingentī hexaphorō vehēbātur. "Hexaphorum" est verbum Graecum quod vult dicere: "lēctīca quam sex servī portant". Sed Dea caeca (i.e. Fortūna) eī benigna est. Caeciliānō vīciēns (i.e. vīciēns centēna mīlia sēstertium) tribuit. Nummī sinum eīus rumpunt. Nōn iam hexaphorō vehitur. Fit pedēs. Quid poēta Caeciliānō optat? Legendō poēma inveniēs.

## § 97


Cum tibi nōn essent sex mīlia, Caeciliāne,  
 ingentī lātē vectus es hexaphorō.  
 Postquam bis deciēns tribuit Dea caeca, sinumque  
 rūpērunt nummī: factus es, ecce, pedēs.  
 Quid tibi prō meritīs, et tantīs laudibus optem?  
 Dī reddant sellam, Caeciliāne, tibi.

<sup>1</sup> fundus vel villa.

## § 98

## PRAEPARATIO

Frāgmentum nāvis antīquae vidēs. Fortāsse vile et inūtile lignum id putās. Sed ōlim clārissima fuit haec carīna. Nam hōc est frāgmentum nāvis Argūs. Olim



Frāgmentum nāvis antīquae

in maria ignōta eam gubernātor dirēxit. Hanc nāvem nec scopulī nec procellae frangere potuērunt. Tempus autem vīcit. Annīs cessit. Sānetior tamen salvā rate est haec parva tabella.

## § 99

Frāgmentum<sup>1</sup> quod vile putās et inūtile lignum,  
 haec fuit ignōtī prīma carīna maris.  
 Quam nec Cyaneae<sup>2</sup> quondam potuēre ruīnae  
 frangere, nec Scythici trīstior ira frētī.  
 Saecula vīcērunt: sed quamvīs cesserit annīs,  
 Sānetior est salvā parva tabella rāte.

<sup>1</sup> Fortāsse frāgmentum illius nāvis Argūs tempore Mārtilis Rōmae exstābat.

<sup>2</sup> Cyaneae erant duae scopulōsae insulae prope ōstium Pontī Euxinī sitae.

## § 100

## PRAEPARATIO

Quīntus Ovidius Kalendīs Aprīlibus nātus est. Mār-  
tiālis ipse Kalendīs Martiīs nātus est. Utraque diēs fēlix  
erat. Alter Mār-  
tiālī vītam, alter amīcum dedit. Diēs  
fēlicēs candidis lapidibus, diēs infēlicēs nigrīs lapidibus  
signātī sunt. Mār-  
tiālis dicit utramque diem lapidibus  
candidīs signandam esse.

## § 101

Sī crēdis mihi, Quīnte, (quod merēris)  
nātālēs, Ovidī, tuōs Aprīlēs  
ut nostrōs amo Mār-  
tiās Kalendās.  
Fēlix utraque lūx, diēsque nōbīs  
signandī meliōribus lapillīs!  
Hīc vītam tribuit, sed hīc amīcum.  
Plūs<sup>1</sup> dant, Quīnte, mihī tuae Kalendae.

## § 102

## PRAEPARATIO

Deciāne, tōtis diēbus et tōtis noctibus tēcum esse volō.  
Sed domus tua duo mīlia passuum abest. Bis bīna sunt  
quattuor. Sic quattuor mīlia passuum ambulāre necesse  
est. Saepē domī nōn es. Saepē, cum domī sis, servus  
negat tē vacāre. Vel causīs tantum vacās. Tē tamen  
ut videam duo mīlia ire nōn piget. Ut tē nōn videam  
quattuor ire piget.

## § 103

Nē valeam, sī nōn tōtis, Deciāne, diēbus,  
et tēcum tōtis noctibus esse velim.  
Sed duo sunt, quae nōs distinguunt, mīlia passum<sup>2</sup>;  
quattuor haec fiunt, cum reditūrus eam.  
Saepe domī nōn es: cum sis quoque, saepe negāris;  
vel tantum causīs, vel tibi saepe vacās.

<sup>1</sup> quia amicitia vitae antepōnenda est.

<sup>2</sup> passum = passuum.

Tē tamen ut videam, duo milia nōn piget ire;  
ut tē nōn videam, quattuor ire piget.

## § 104

## PRAEPARATIO

Caeciliānus ā Mārtiāle nummōs petit. Dicit sē sextō aut septimō diē pecūniam redditūrum. Mārtiālis sē pecūniam habēre negat. Tum Caeciliānus amīcī adventum causātur.<sup>1</sup> Ad Mārtiālem redit et lancem<sup>2</sup> paucaque vāsa rogat. Sed Mārtiālis nec lancem nec vāsa eī dat.

## § 105

Mille tibi nummōs hesternā lūce rogantī  
in sex aut septem, Caeciliāne, diēs  
“Nōn habeō” dixī: sed tū causātus amīcī  
adventum, lancem paucaque vāsa rogās.  
Stultus es? An stultum mē crēdis, amīce? Negāvī  
mille tibi nummōs<sup>3</sup>: mīlia quīnque dabō?

## § 106

## PRAEPARATIO

Lupercus quotiēns Mārtiālī occurrit, “Quandō puerum mittam” inquit “cū librum tuum trādās? Ubi eum lēgerō tibi remittam.” Mārtiālis autem librōs vēndere vult, eōs commodāre<sup>4</sup> nōnvult. Itaque respondet: “Nōlī puerum vexāre. Domus mea procul abest, et scālae multae et altae sunt. Propius librum petere poteris. Contrā Caesaris forum est taberna. Tabernae dominus “Atrectus” appellātur. Illinc omnēs poētās emere poteris. Illinc mē pete. In primō alterōve nīdō<sup>5</sup> librum meum

<sup>1</sup> affert tamquam causam.

<sup>2</sup> = vās lātum in quō cibī repōnuntur et mēnsae īferuntur.

<sup>3</sup> mille nummōs = sēstertium, i.e mille sēstertiōs.

<sup>4</sup> *Commodāre* significat *dare aliquid* ūtendum ad tempus sine mercēde, et dicitur dē iīs rēbus quae reddendae sunt.

<sup>5</sup> “Nīdus” est domicilium avium. *Nīdī* dīcuntur in quibus mercēs in tabernīs sēparātīm servantur. Merx est ea rēs quae emitur aut venditur.

inveniēs. Eum dēnāriis quīnque emere poteris.” “Tantī nōn sum”, inquit Lupercus. “Sapis, Luperce”, respondet Mārtiālis.

### § 107

Occurris quotiēns, Luperce, nōbīs:  
 “Vīs mittam puerum” subinde dīcis  
 “cū trādās epigrammatōn<sup>1</sup> libellum,  
 lēctum<sup>2</sup> quem tibi prōtinus remittam?”  
 Nōn est quod puerum, Luperce, vexēs.  
 Longum est sī velit ad Pirum<sup>3</sup> venīre  
 et scālis habitō tribus sed altīs.  
 Quod quaeris propius petās licēbit.  
 Contrā Caesaris est forum taberna.  
 Illinc mē pete. Nec rogēs Atrectum  
 (hōc nōmen dominus gerit tabernae):  
 dē prīmō dabit alterōve nīdō  
 dēnārīs tibi quīnque Mārtiālem.  
 Tantī nōn es, ais? Sapis, Luperce.

### § 108

#### PRAEPARATIO

Praecō<sup>4</sup> facētus collēs excultōs atque agrōs pulchrōs vēndēbat, “Haec pulchra iūgera” inquit “Mariō sunt. Necesse nōn est eī vēndere. Nīl dēbet; multam immō pecūniam habet. Faenerat<sup>5</sup> etiam.” “Cūr igitur vēndere vult?” aliquis interrogat. “Quiā servōs ibi omnēs et pecus et fructūs perdidit. Sic locum nōn amat.” Nēmō servōs et pecora et fructūs perdere volēbat, itaque nēmō pretium fēcīt. Sic ager nōxius Mariō haeret.

<sup>1</sup> Greek gen. pl.

<sup>2</sup> i.e. cum eum lēgerō.

<sup>3</sup> Nōmen regiōnis in quā habitābat Mārtiālis.

<sup>4</sup> Vir quī in auctiōnibus pretium rērum prōnūntiābat et ad emendum laudandō invitābat.

<sup>5</sup> Prō mercēde, sub faenere commodat.



## § 109

Vēnderet excultōs collēs cum praecō facētus,  
atque suburbānī iūgera pulchra solī:

“Errat”, ait “sī quis Mariō putat esse necesse  
vēdere: nīl dēbet; faenerat immō magis”.

“Quae ratiō est igitur?” “Servōs ubi perdidit omnēs  
et pecus et frūctūs, nōn amat inde locum.”

Quis faceret pretium, nisi quī sua perdere vellet  
omnia? Sic Mariō nōxius haeret ager.

## § 110

## PRAEPARATIO

Andragorās apud Mārtiālem commorābātur. Primum  
lōtus est, tum hilaris cēnāvit. Valēre vidēbātur. Nēmō  
putāvit eum aegrōtāre. Sed māne inventus est mortuus.  
Faustīnus causam tam subitae mortis requirit. Mārtiālis  
respondet eum medicum vīdisse.

## § 111

Lōtus nōbīsecum est, hilāris cēnāvit; et īdem  
inventus māne est mortuus Andragorās.

Tam subitae mortis causam, Faustīne, requiris?

In somnīs medicum vīderat Hermocratem.

## § 112

Scaevola, tū cēnās apud omnēs, nūllus apud tē;  
alterius siccās pōcula, nēmō tua.

Aut tū redde vicēs,<sup>1</sup> aut dēsine velle vocārī:  
dēdecus est semper sūmere nīlque dare.

## § 113

Gellius aedificat semper: modo līmina pōnit,  
nunc foribus<sup>2</sup> clāvēs<sup>3</sup> aptat, emitque serās<sup>4</sup>;

<sup>1</sup> Cf. vice versā.

<sup>2</sup> iānuīs exteriōribus aedium.

<sup>3</sup> Instrūmenta ferrea quibus iānuae clauduntur et aperiuntur.

<sup>4</sup> ea quae clausīs foribus oppōnuntur.

nunc hās, nunc illās mūtāt, reficitque fenestrās.

Dum tamen aedificet, quidlibet ille facit.

Orantī nummōs ut dicere possit amīcō

ūnum illud verbum Gellius: “Aedificō”.

### § 114

Orbus<sup>1</sup> es, et locuplēs, et Brūtō<sup>2</sup> cōsule nātus:

esse tibi vērās crēdis amīcitiās?

Sunt vērae, sed quās iuvenis, quās pauper habēbās.

Quī novus<sup>3</sup> est, mortem diligit<sup>4</sup> ille tuam.

### § 115

Ad cēnam nūper Vārus mē forte vocāvit;

ōrnātus dīves, parvula cēna fuit.

Aurō, nōn dapibus, onerātur mēnsa: ministrī

appōnunt oculis plūrima, pauca gulae.

Tunc ego “nōn oculōs sed ventrem pāscere<sup>5</sup> vēnī;

aut appōne dapēs, Vāre, vel aufer opēs”.

### § 116

Rūre morāns quid agam respondeō pauca rogātus:

lūce Deōs ōrō; famulōs, post arva revisō.

Hinc oleō corpusque fricō, mollīque palaestrā

stringo libēns, animō gaudēns, ac faenere liber

prandeo, pōto, canō, lūdō, lavo, cēno, quiēscō.

### § 117

#### PRAEPARATIO

Issa est canis parvula Pūbli. Canis parvula “catella” vocātur. Issa Pūbli dēliciae est. Issa sī queritur, loquī vidētur. Collō dominī nītitur dormitque. Suspīria eius sentīrī nōn possunt. Issam Pūblius tabellā pīctā expressit. In eā tabellā pīctā Issam tam similem vidēbis

<sup>1</sup> “orbis” dicitur de eō quī sine parentibus vel (ut hīc) sine filiis est.

<sup>2</sup> Mārtiālis hyperbolicē scribit; Brūtus primus cōsul fuit.

<sup>3</sup> i.e. novus amicus.

<sup>4</sup> spērat tē mox moritūrum esse.

<sup>5</sup> = ut pāscerem.

ut Issa ipsa tam similis sibi nōn sit. Sī pōnis Issam cum tabellā, iūdicārī nōn potest utra sit pīcta, utra sit vēra.

## § 118

Issa est passere nēquior Catullī.<sup>1</sup>  
Issa est pūrior ōsculō columbae.



Puer cum cane ambulāns

Issa est blandior omnibus puellīs.  
Issa est dēliciae catella Pūblī.  
Hanc tū, sī queritur, loquī putābis.  
Sentit trīstitiamque gaudiumque.  
Collō nīxa cubat, capitque somnōs,  
ut suspīria nūlla sentiantur.  
Hanc nē lūx rapiat suprēma<sup>2</sup> tōtam

<sup>1</sup> Cf. Passer mortuus est meae puellae,  
passer, dēliciae meae puellae,  
quem plūs illa oculīs suīs amābat.

<sup>2</sup> lūx suprēma = ultimum vītae tempus, i.e. mors.

pīctā Pūblius exprimit tabellā,  
 in quā tam similem vidēbis Issam  
 ut sit tam similis sibī nec ipsa.  
 Issam dēnique pōne cum tabellā:  
 aut utramque putābis esse vērā  
 aut utramque putābis esse pīctā.

## § 119

## PRAEPARATIO

Erōtion, filia Frontōnis et Flaccillae, vernula erat.  
 Eam amābat Mārtiālis. Puella parvula Mārtiālis “ōscula”



Cerberus

et “dēliciae” erat. Eheu!  
 mortua est. Poēta vernulam  
 parentibus commendat. Timet  
 nē parvula Erōtion umbrās  
 Tartarī nigrās horrēscat.  
 Timet nē Cerberum horrēscat.  
 “Cerberus” appellātur ille  
 canis quī portās Tartarī cus-  
 tōdit. Anguēs caput ēius  
 cingunt. Tria capita habet.  
 Erōtion paenē sex annōs  
 implēverat. Sex annōs im-  
 plēvisset, sī sex diēs diūtius  
 vīxisset. “Lūdat” inquit

Mārtiālis “puella lascīva inter tam veterēs patrōnōs.  
 Blaesō ōre nōmen meum garriat. Levis caespēs ossa  
 mollia tegat. Sit illī terra levis, nam terrae illa levis  
 fuit.”

## § 120

Hanc tibi, Frontō pater, genetrīx Flaccilla, puellam  
 ōscula commendō dēliciāsque meās:  
 parvula nē nigrās horrēscat Erōtion umbrās  
 ōraque Tartareī prōdigiōsa canis.

Implētūra fuit sextae modo frīgora brūmae<sup>1</sup>  
 vīxisset totidem nī minus illa diēs.  
 Inter tam veterēs lūdat lascīva patrōnōs<sup>2</sup>  
 et nōmen blaesō<sup>3</sup> garriat ōre meum.  
 Mollia nec rigidus caespēs tegat ossa; nec illī,  
 terra, gravis fueris: nōn fuit illa tibi.

## EX HORATI CARMINIBUS

## § 121

## PRAEPARATIO

Puer rōbustus pauperiem libenter patī condiscat. Acris mīlītiae ūsū atque exercitātiōne labōris tolerantiam condiscat. Eques Parthōs ferōcēs vexet. Sub Iōve frīgīdō et trepidīs in rēbus vītā agat. Illum ex moenibus hostium ūxor tyrannī cōspicit. Cōspicit etiam tyrannī filia et timet. Timet nē spōnsus mīlītiae imperītus illum leōnem lacessat. Dulce et decōrum est prō patriā morī. Mors et fugācem virum persequitur neque fugientī parcit.

## § 122

Angustam amīcē<sup>4</sup> pauperiem patī  
 rōbustus acrī mīlītiā puer  
 condiscat et Parthōs ferōcēs  
 vexet eques metuendus hastā  
 vītāque sub dīvō et trepidīs agat  
 in rēbus. Illum ex moenibus hosticīs  
 mātrōna bellantis tyrannī  
 prōspiciēns et adulta virgō  
 suspīret: ēheu, nē rūdis agminum  
 spōnsus lacessat rēgius asperum

<sup>1</sup> Tempus annī cum diēs *brevissimī* sunt. Tempus ā brūmā ad brūmam *annus* vocātur. Saepe (ut hīc) ā poētīs accipitur prō ipsō hieme.

<sup>2</sup> Parentēs.

<sup>3</sup> "Blaesus" vocātur quī linguam impedītā habet, et aliquam litteram ut R prōnūntiāre nōn potest.

<sup>4</sup> Tamquam pauperiēs amīca sit.

tactū leōnem, quem cruenta  
 per mediās rapit ira caedēs.  
 Dulce et decōrum est prō patriā morī:  
 mors et fugācem persequitur virum,  
 nec parcit imbellis iuventae  
 poplitibus<sup>1</sup> timidōve tergō.

## § 123

## PRAEPARATIO

Nēmō quam sortem fors obiēcit illā contentus vīvit. Semper sortēs aliōrum laudat. Miles gravis annīs est. Multō labōre membra frāctus est. Putat mercātōrēs fortūnātōs esse. Auster mercātōris nāvem iactat. Tum ait mercātor “Militia est potior; ad arma concurritur; cita mors aut victōria laeta venit”. Iūriscōnsultus iūris lēgunque perītus est. Sub gallī cantum, dum ille dormit, cōnsultor ōstia pulsat. Tum iūriscōnsultus exclāmat: “Agrīcultūra est potior”. Agricola tamen sē vadem prō amīcō dat. Rūre in urbem extractus est. Clāmat agricola: “Quī in urbe habitant sōlī fēlicēs sunt”. Sī quis deus dīcat “Quod vultis id iam faciam. Tū quī modō miles erās, mercātor eris. Tū quī modō cōnsultus erās, agricola eris. Partibus mūtātis, hinc discēdite,” nōlint. Atquī beātī esse possunt.

## § 124

Quī fit, Maecēnās, ut nēmō, quam sibi sortem  
 seu ratiō dederit seu fors obiēcerit, illā  
 contentus vīvat, laudet dīversa sequentēs?  
 “O fortūnātī mercātōrēs!” gravis annīs  
 miles ait multō iam frāctus membra labōre.  
 Contrā mercātor, nāvem iactantibus Austrīs:  
 “militia est potior. Quid enim? Concurritur:<sup>2</sup> hōrae

<sup>1</sup> Fugam significat, poplitēs enim fugientium cernuntur quemadmodum terga. *Poples* est ea crūris pars quae genu opposita est.

<sup>2</sup> in proeliō hostēs concurrunt.

mōmentō cita mors venit aut victōria laeta.”

Agricolam laudat iūris lēgumque perītus,  
sub galli cantum cōsultor ubi ōstia pulsat.

Ille datīs vadibus quī rūre extractus in urbem est,  
sōlōs felicēs vīventēs clāmat in urbe.

Si quis deus “ēn ego” dīcat  
“iam faciam quod voltis: eris tū, quī modo mīles,  
mercātor; tū cōsultus modo, rūsticus: hinc vōs,  
vōs hinc mūtātis discēdite partibus. Heia!  
quid stātis?”, nōlint. Atquī licet esse beātis.

## § 125

## PRAEPARATIO

Perfidus<sup>1</sup> caupō, mīlēs, nauta aiunt sēsē labōrem ferre  
ut sēnēs in ōtia tūta re-  
cēdant. Sicut parvula  
formīca<sup>2</sup> quodcumque po-  
test ōre trahit atque acervō  
addit. Simul autem hiems  
adest nusquam prōrēpit,  
sed quae anteā quaesivit  
illis ūtitur. Maximum  
discrīmen est inter tē et  
formīcam. Nec fervidus  
aestus, nec hiems, nec ignis,  
nec mare, nec ferrum, tē  
lucrō dēmovet. Alterum  
tē dītīorem esse nōnvīs.  
Quid tē iuvat immēsum  
pondus argentī et aurī  
terrā defossā dēpōnere?  
“At sī id aurī pondus”,  
inquit avārus, “expēndendō minuam, paulātīm usque ad



Caupō aquam cum vīnō miscet

<sup>1</sup> quīa caupōnēs aquam cum vīnō saepe miscēbant.

<sup>2</sup> exiguum animal sed admirābilis sollertiae.

assem cōnsūmētur. Sic egēnus atque inops fiam.” “At nī id fit”, respondet poēta, “quid pulchrī habet cōstrūctus acervus tuus?” Etiam sī ārea tua centum milia frūmentī trīverit, nōn eō venter tuus plūs quam meus accipiet.

## § 126

Perfidus hīc caupō, milēs nautaeque per omne  
audācēs mare quī currunt, hāc mente labōrem  
sēsē ferre, sēsēs ut in ōtia tūta recēdant  
aiunt, cum sibi sint congesta cibāria: sicut  
parvula—nam exemplō est—magnī formīca labōris  
ōre trahit quodcumque potest atque addit acervō  
quem struit, haud ignāra ac nōn incauta futūrī.  
Quae, simul inversum contrīstat Aquārius<sup>1</sup> annum,  
nōn usquam prōrēpit et illīs ūtitur ante  
quaesītis patiēns; cum tē neque fervidus aestus  
dēmoveat lūcrō, neque hiems, ignis, mare, ferrum,  
nīl obstat tibi, dum nē sit tē dītior alter.  
Quid iuvat, immēsum tē argentī pondus et aurī  
fūrtim dēfossā timidum dēpōnere terrā?  
“Quod sī comminuās, vīlem redigātur ad assem.  
At nī id fit, quid habet pulchrī cōstrūctus acervus?”  
Mīlia frūmentī tua trīverit ārea centum,  
nōn tuus hōc capiet venter plūs ac meus. . . .

## § 127


### PRAEPARATIO

Licinius, homo turbulentus atque ambitiosus coniūratiōnem contrā Augustum fēcit. Inītis Augustī occīdendī cōnsiliīs, iisque dēfectīs, reus factus est. Exsiliō damnātus paulō post necātus est A.U.C. DCCXXXI. Licinium poēta ad moderatiōnem exhortātur.

<sup>1</sup> Nōmen eius signī in caelestī Zōdiacō in quod Sol mēse Iānuāriō ingreditur.



Nauta cautus neque in altum mare semper nāvem dirigit, neque litus semper premit. In apertō marī procellās, prope litus scopulōs horrēscit. Eōdem modō sapientissimus quisque mediōcritātem, quae est inter nimium et pārū, diligit. Sic et tēctum obsolētum pauperum et aulam invidendam divitum vītat. Pinūs ingentēs saepius quam minōrēs arborēs ventō agitantur. Turrēs rēgum graviōre cāsū quam pauperum tabernae



Nutae vēla contrahunt

dēcidunt. Fulgura summōs montēs feriunt. Sapiēns adversis rēbus alteram sortem spērat; secundis rēbus alteram sortem metuit. Iuppiter hiemēs reducit; idem eās summovet. Nōn sī nunc male est, et semper sic erit. Aliquandō Apollō citharā mūsam tacentem suseitat. Nōn semper ille arcum tendit.<sup>1</sup> Rēbus angustis animōsum atque fortem tē mōnstrā. Ventō nimium secundō vēla contrāhē. Nam aliquandō ventus quī initiō quidem secundus vidētur crēscit et nāvem tandem submergit.

## § 128

Rēctius vīvēs, Licinī, neque altum  
semper urgendō neque, dum prōcellās

<sup>1</sup> Arcum cum tendit infēnsus Apollō, pestem atque mortem hominibus minātur.

cautus horrēscis, nimium premendō  
lītus inīquum.

Auream quisquis mediōcritātem  
dīligit, tūtus caret obsolētī  
sordibus tēctī, caret invidendā  
sōbrius aulā.

Saepius<sup>1</sup> ventīs agitātur ingēns  
pīnus, et celsae graviōre cāsū  
dēcidunt turrēs, feriuntque summōs  
fulgura montēs.

Spērat infestīs, metuit secundīs  
alteram sortem bene praeparātum<sup>2</sup>  
pectus. Infōrmēs<sup>3</sup> hiemēs redūcit  
Iuppiter, idem  
summovet. Nōn sī male nunc, et ōlim  
sic erit: quondam citharā tacentem  
suscitat mūsam, neque semper arcum  
tendit Apollō.

Rēbus angustīs animōsus atque  
fortis appārē; sapienter idem  
contrahēs ventō nimium secundō  
turgida vēla.

## § 129

## PRAEPARATIO

In marī Aegaeō nāvigat nauta cum subitō tempestās  
orītur. Atra nūbēs lūnam condidit neque sīdera fulgent.  
Tum nauta deōs ōtium rogat. Thrācēs bellicōsī et Parthī  
pharetrīs decōrī ōtium rogant. Sed ōtium neque gemmīs  
neque aurō emere possūmus. Nōn emitur aut venditur  
ūllō pretiō illa animī pāx et tranquillitās. Beātē vivitur  
ab eō cū nihil dēest, etsī dīvitiās nōn possideat. Parvō  
bene vivit is, cūius in mēnsā salinum<sup>4</sup> paternum splendet.

<sup>1</sup> quam minōrēs pīnūs.<sup>2</sup> sapientiā instrūctum.<sup>3</sup> quae dēfōrmant grātum terrārum aspectum.<sup>4</sup> id quod sāl continet.

Huic neque timor neque cupidō somnum aufert. Sed cūra nāvēs aerātās scandit neque turmās equitum relinquit. Nautās terrent pröcellae, ventī, scopulī; militēs angit vel praedae cupidō vel mortis timor. Ocior cervīs, ocior Eurō est cūra. Nē cūret futūra laetus aninus; lentō rīsū amāra temperet. Nihil est in rēbus hūmānīs omnīnō beātum. Tū, Gropshe,<sup>1</sup> centum gregēs ovium habēs. Circum tē mūgiunt Siculae vaccae. Mihi Parca tenāx vēri<sup>2</sup> parvōs agrōs dedit. Dedit etiam vulgus spernere.

## § 130

Otium dīvōs rogat in patentī  
 prēsus<sup>3</sup> Aegaeō, simul ātra nūbēs  
 condidit lūnam neque certa fulgent  
     sīdera nautīs;  
 otium bellō fūriōsa Thrācē,<sup>4</sup>  
 otium Mēdi pharetrā decōrī,  
 Gropshe, nōn, gemmīs neque purpurā vē-  
     nāle neque aurō.  
 Vivitur parvō bene, cui paternum  
 splendet in mēnsā tenuī salīnum,  
 nec levēs somnōs timor aut cupidō  
     sordidus aufert.  
 Scandit aerātās vitiōsa nāves  
 cūra, nec turmās equitum relinquit,  
 ocior cervīs et agente nimbōs  
     ocior Eurō.<sup>5</sup>  
 Laetus in praesēns animus quod ultrāst<sup>6</sup>  
 oderit cūrāre et amāra lentō

<sup>1</sup> Grosphus, eques Rōmānus, Horātī amīcus fuit.

<sup>2</sup> cūius dēcrēta certum semper habent exitum.

<sup>3</sup> cum tempestāte occupātur.

<sup>4</sup> terra Eurōpae ubi incolunt Thrācēs, populus feras et bellicōsus.

<sup>5</sup> ventus spīrāns ab oriente sōle et merīdiē.

<sup>6</sup> = ultrā est.

temperet rīsū: nihil est ab omnī  
parte beātum.

Tē gregēs centum Siculaeque circum  
mūgiunt vaccae: mihi parva rūra<sup>1</sup>  
Parca nōn mendāx dedit, et malignum  
spernere vulgus.

<sup>1</sup> Horātius fundum parvum in Sabīnīs habuit.

## NOTES

---

§ 2. **eō mūnere**, i.e. *librō*, a gift we might enjoy in common.

**fuit . . . abstersit** = has been so . . . that it has wiped away.

**tribuimus** = I put in the mouth of.

**facimus**, I represent them wondering.

§ 5. **nihil opis**, no resource.

**ā sē ipsī**, themselves from themselves. The Stoics tried to be independent of their surroundings.

**adeptam**. Note that this generally deponent verb is here used as a non-deponent with passive meaning.

**obrēpere**, steal upon them.

**putāvissent**, subjunctive because of *oratio obliqua*.

**quī**, adv. = *quōmodo*.

**esset . . . agerent**, subjunctive of "rejected" clauses.

**nostrō cognōmine**, "The Philosopher".

§ 8. **senēs fierī**, dep. on *volumus* rather than *spērāmus*. Cf. *volumus senēs fierī*; *spērāmus nōs senēs futūrōs esse*.

**quibus ratiōnibus**, on what principles.

**istūc quō**: *istūc* = pronoun, the time of life you have reached.

**quam ingrediendum sit**. Note use of obj. governed by *ingrediendum* for more usual *quae ingredienda sit*.

**facillimē**, most readily.

**carērent**, &c., subjunctive of "virtually oblique narration"; 'because they said they lacked'.

**quī ferrent**, subjunctive of consequence, 'men of such a kind as to . . .'.

§ 11. **opēs, cōpiās, dignitātem**, resources, wealth, social position.

**ad Capuam**, to the camp at Capua. 'To Capua' would require no preposition.

**cum esset**, concessive, 'though'.

**augur cum esset**, concessive, 'although'.

§ 14. **spatiō suprēmō**, at the last lap.

**vicit Olympia**, won the prize at the Olympic games. The neut. pl. is used as an object.

§ 17. **abstrahat**, subjunctive of "virtually oblique narration". The reasons are quoted, not those of Cato.

**ā rēbus gerendīs**, from public life.

**persecūtus est**, has followed out, well expressed.

**quō . . . viāi** (old gen. = *viae*), whither in your course.

**mentēs . . . dēmentēs**, nom., oxymoron: 'your senseless senses'.

**haec . . . ēgit**, he made this speech.

**tamen**, indeed.

§ 20. **nihil afferunt**, they bring forward no argument.

**versārī**, to be occupied with.

**forōs**, gangways.

§ 23. **tardior**, slower, duller (than usual).

**percēperat**, has mastered.

**quemquam senem**, anyone when he grew old.

**patribus bonīs interdīcī solet**, it is the custom to prohibit (*impersonal passive*) fathers from managing their property.

§ 26. **vidētis ut**, you see how.

**ea ipsa . . . quibus exemplīs ūtī**, those very things which I have been quoting as examples.

**locus alter**, a second point, head.

**vōx**, remark.

**prō viribus**, in proportion to your strength.

§ 29. **ad omne offici mūnus**, for every task of duty.

**cum dēpugnāvī**, at the time when I fought through the battle. *Cum* + indic. is purely temporal.

§ 32. **moderātiō vīrium**, 'a right application of strength', not 'a moderate amount'.

**nē (ille)**, assuredly. This affirmative *nē* must not be confused with the negative *nē* of final clauses or with *nē quidem* = not even.

**ūtāre . . . nē requirās**. Commands and prohibitions may be expressed by pres. subj. when general.

**adsit . . . absit**, strictly temporal—subjunctives due to principal verbs being in that mood.

§ 35. **Tarentī**, locative for 1st and 2nd decl. sing. = gen.; for 3rd decl. and all plu. = abl., e.g. *Carthāgine, Athēnīs*.

**capitālīōrem**, more deadly.

**sī quidem**, if indeed = since.

§ 38. **magnō opere** = *magnopere*, greatly.

**licentiae**, contempt of custom.

**glōria** = fame.

**tempestivīs** = protracted.

**natūrālīs modus** = a limit assigned by nature.

**sēnsū** = perception, appreciation.

§ 41. *parvulīs* = paltry.

*dīmētiendī*, measuring up.

*dēscribere* = draw, contract. Cf. On AB *describe* the triangle ABC.  
*aliquid dēscribere* = to draw some astronomical chart or other.

*fābulam docuisset* = produced a play.

*prōcessit aetāte* = lived, i.e. continued to live. Cf. *ē vitā excēdere* = to die.

*flagrantēs* = aglow. For the metaphor cf. Mod. Eng. *flagrant*, *fervid*, *ardent*. Cf. also *flagrante delictō* = red-handed.

§ 44. *rationēm*, reckonings, settling-up.

*ūsūra*, interest rather than usury, which in modern English has a bad sense.

§ 47. *Oeconomicus*. Translate "The Domestic Economist".

*ad eum Sardēs*, two accusatives: visited him at Sardis.

*commūnis* = affable, treating as an equal.

*cōnsaeptum agrum* = park.

*dīmēnsa*, deponent participle used as passive. Cf. *adeptam*, § 5.

§ 50. *cum esset* = when he lived.

*commūnia* = commonplace.

*lēgātī* = ambassadors.

*illī*, dat. sing. in his honour.

§ 53. *Adelphī*, "The Brothers", a play of Terence.

*quid sibi velit* = what it means.

*sollicitam habēre* = to keep in anxiety.

*quid timeam*, what (why) am I to fear? Deliberative subjunctive.

§ 56. *at senex . . .*, but, you will argue, an old man . . .

*ne quod spēret quidem habet* = has nothing to hope for.

§ 59. *mūnus officī* = the tasks imposed by duty.

*ita fit ut* + subj., thus it comes about that.

*haud sciō an*, I am inclined to think, probably.

*Solōnis ēlogium est* = there is a couplet of Solon's.

*dacrumīs*, old form of *lacrimīs*. Note alliteration.

*faxit*, &c., old perf. subj. of *facio* (*fac-sit*) = *nec quisquam fānera (cum) fētū fecerit*. The line ends *Cūr? Volitō vivus per ōra virum*. Note alliteration.

*incertum an* = perhaps, possibly. Cf. *haud sciō an* (above).

§ 62. *vīvere arbitror*, I think they are still living.

*reminisci*. Compare Wordsworth's Ode—

"Our birth is but a sleep and a forgetting;  
Trailing clouds of glory do we come  
From God who is our home".

*nūllum vidēbitis* = you see nobody. This use is rare, and is probably due to the *nūllum* used above, q.v. Here *nūllum* almost = *nōn*.

§ 65. *retraxerit*, future perf.

§ 67. *Hōs versūs, mūtātō nōmine, optimē vertit, Anglus nesciō quis:*

“I do not like thee, Dr. Fell,  
The reason why I cannot tell;  
But this indeed I know full well,  
I do not like thee, Dr. Fell”.

§ 68. *difficilis*. Cf. the similar use of Fr. *difficile*.

§ 86. *tōtā nocte*. The omission of the preposition with *tōtus* is very common. Cf. *tōtā urbe, tōtā Galliā*.

*nihil praestās* = you don't keep your bargain, you don't pay up.

§ 90. *est nōn est quod agās* = whether you've got anything to do or not.

§ 91. *nūbere* (alicuī), lit. to veil oneself for: can only be used of a woman. A man is said *dūcere fēminam in matrimōnium*.

§ 92. *Uxōrī nūbere*. See note above. Translate: to be my wife's wife. Note the clever paradox of the last two lines.

§ 93. *tōtō librō*. Cf. *tōtā nocte*, § 86.

§ 94. *Iactat* = is conceited enough to say.

§ 95. *rūs*, farm, country seat.

§ 96. *sēstertium*. The *sēstertius* was a small silver coin, value about 2*d*. *Sestertium* (orig. gen. pl. 'of sesterces') was the sum of 1000 sesterces. Hence *duo sēstertiū* = 4 sesterces, but *duō* (or *bīna*) *sestertia* = 2000 sesterces. How much (in English money) had Caecilianus when he was poor, and how much when he was rich?

§ 102. *tōtis diēbus*. Cf. notes §§ 86, 93.

*causīs tantum*, i.e. Decianus will only see clients about their cases in the law-courts.

§ 106. *dēnāriīs*. A *dēnārius* was = 4 sestertii, i.e. = 8*d*. It is from this word that we get the *d*. in £, *s. d.*—£ from *libra*, a pound; *s.* from *solidus* (solid), a gold coin, at first = 25 *denari*, afterwards about half that amount. From *solidus* we get 'soldier' = mercenary.

§ 107. *Nōn est quod*. Notice that this phrase takes a subjunctive. Translate: there's no need to trouble the boy.

*scālīs tribus*, up three flights of stairs.

*nīdī* = shelves, drawers; cf. pigeon-holes.

*dēnariīs quīnque* = 3*s.* 4*d.* English money.

*tantī*, genitive of price. Translate: You say you're not worth so much!

§ 114. *pauper habēbās*, you had when you were poor.

§ 122. *rudis agminum*. For genitive cf. *imperitus, īnsciūs, īnsuētus, ignārus*.

§ 124. *sī quis dīcat . . . nōlint*, if any god were to say . . . they would be unwilling. Subjunctive of rejected (i.e. here improbable) conditional clause.

§ 126. *hāc mente . . . ut = hōc cōsiliō . . . ut*.



**ignāra** + gen. Cf. *rudis*, § 122.

**inversum annum.** The seasons are represented as moving in a cycle.

**cibāria** = *cibi*.

**formīca**, whence 'formic' acid.

**dum nē . . . alter.**

§ 128. **premendō litus**, by hugging the coast.

**auream mediōcritātem**, the golden mean.

**infestis . . . secundis.** Datives dependent on *alteram*.

**ōlim**, some day, always (*ōlim* refers to the future as well as to the past).

§ 130. **vīvitur (eī) cui**, impersonal + dat.: he lives well for whom.

**ōderit**, subj. (cf. *temperer*), let it scorn to be anxious about.

**quod ultrāst** = *id quod ultrā est*, object of *curāre*. Not dependent question, which would require subjunctive.

**tē gregēs, &c.** The last four lines have been abridged from eight in the original.



## EXERCISES

[The numbers of the Exercises correspond to the paragraphs on which they are based.]

---

### 2

1. Give *nom. and gen. sing. of*: aliquid, tē, hōc onere, uterque, hūius librī.
2. *Principal parts of*: cōnscribere, ferre, occurrēbās, ūterētur, absterserit, effēcerit, mīsimus.
3. Give *fut. indic. 3rd pl. of each of the above verbs*.
4. *Parse*: vellem, absterserit, dīcēmus, habēret, ferat. Explain use of subj. where used.

### 5

1. Give *nom. and gen. sing. of*: hōc C. Laeliō, rem difficilem, quō genere, opīniōne vestrā, optimam ducem, inertī poētā.
2. *Principal parts of*: sēnsērim, sustinēre, petunt, adipīscantur, obrepere, coēgit, sequimur.
3. *Explain cases of*: Aetnā, opis, opīniōne, eīque, sapientī.
4. *Parse*: sēnsērim, vidēminī, ferendum.
5. *Explain use of subjunctives*: dicant, adipīscantur, agerent, utinam esset, dēscriptae sint.

### 8

1. Give *dat. and abl. sing. of*: ingravēscēntem aetātem, utrīque, longam aliquam viam, aequālium meōrum, tolerābilem senectūtem.
2. *Principal parts of*: fierī, cōnfēceris, ingrediendum, poterō, colī, ferrent, agunt.

3. *Explain cases of*: multō, vestrum, nōbīs, querellis, vinculis.
4. *Explain mood of*: possīmus, (quāle) sit, spernerentur ferrent.
5. *Parse*: cōnfēceris, istūc, vinculis.

## 11

1. *Give nom. and gen. sing. of*: Serīphiō cuīdam, Hannibalem exsultantem, ūnus homō, meā operā, reīpūblicae.
2. *Principal parts of*: contingere, assecūtum, profectus, fūgerat, recēpistī, ausus, gerī.
3. *Explain mood of*: dixisset, fuissēs, grandis esset, amīssissēs.
4. *Translate*: If Q. Maximus had been a young man he would not have been a braver soldier. Although he was an old man he easily recovered Tarentum.

## 14

1. *Give nom. and gen. sing. of*: tālem senectūtem, āctae aetātis, suō opere, fortis equus.
2. *Principal parts of*: recordentur, accēpimus, quaererētur, vellet, vicit, vidērētur.
3. *Give mood and tense of verbs in question 2, and explain the use of the subjunctives.*
4. *Explain the use of the cases in*: dictū, annō, doctō, senectūtī.

## 17

1. *Parse*: gerendīs, infirmius, voluptātibus.
2. *Principal parts of*: abstrahat, accēdēbat, flexēre, intellegitur, accēpimus.
3. *Explain the use of the following subjunctives*: prīvet, sit, videāmus, caecus esset, interfuissent.

## 20

1. *Give 1st pers. sing. fut. indic. of*: afferunt, gerenda, negant, dīcant, scandant, cursent, exhauriant, tenēns, sedeat.
2. *Give 3rd pl. perf. indic. of the same verbs.*
3. *Explain subjunctives*: sedeat, sint gerendae.
4. *Parse*: gerenda, multō, cōgitantī, dēsīnam, quam.

## 23

1. *Give principal parts of:* percēperat, oblitum, interdīcī, quaesisse, serendīs, prōdere.
2. *Distinguish eōs quī sunt nōvī and quī sint nōvī.*
3. *Parse:* quemquam.
4. *Explain use of subjunctives:* sīs, obruisset, dēbeant, removērent, vidērētur, prōsint, serat.
5. *Translate:* patribus bonis interdīcī solet.

## 26

1. *Give principal parts of:* coluntur, gaudent, intellegō, didicī, explēre, cupiō, exercentēs.
2. *Give nom. and gen. sing. of:* indole, studia, aliquid, sitim. istī, ipse, lateribus.
3. *Translate:* semper agēns aliquid et mōliēns. quod est eō decet ūtī. ā iuventūte coluntur et diliguntur.
4. *Make a list of verbs in § 26 followed by acc. and inf. construction.*

## 29

1. *Give principal parts of:* relinquēmus, īnstruat, trādīt, requīreret, verendum, fuerim, dēpugnāvī.
2. *Parse words in question 1, giving reason for use of each form.*
3. *Give nom. and gen. sing. and gender of:* senectūtī, artium, effētum, corpus, melle.
4. *Explain:* cūria, rostra, clientēs, hospitēs.

## 32

1. *Give nom. and gen. sing. and gender of:* vīrium, utervīs, quisque, bovem, corporis, pedibus, imbrī, rōboris, mōs.
2. *Principal parts of:* ingressus, ūtāre, verēbantur.
3. *Translate:* nē vōs quidem illius vīrēs habētis. nē ille nōn magnō dēsideriō tenēbitur vīrium. cum absit nē requīrās.
4. *Explain use of subjunctives:* adsit (2), requīrās, faciat.
5. *Parse:* vestrum, ūtāre, addūcī, imbrī.

## 35

1. *Compare sentence 1 of § 35 with sentence 1 of § 34. Which is the more logical, and why?*

2. *Translate: accipite, quae mihi trādita est, cum essem adulēscēns Tarentī, sī quidem exstingueret, notandam putāvī libīdinem.*

3. *Parse: nōbīs, Tarentī, prōditiōnēs, suscipiendum, rei capitālis. What is the case of each word, and why?*

4. *What English words are derived from: mūnus, adulēscēntia, trādita, clandestīna, pestiferum, lūmen, convīviō?*

5. *Principal parts of: aufert, exstingueret, ēlāpsus.*

## 38

1. *Parse, with reason for case used: epulis, blanditiīs, ēscam, puer, fūnālī, licēntiae, prōgrediente, sī quem, voluptātī.*

2. *Translate: quorsum, epulis exstrūctīs, ēscam, hāmō, sodālībus, tempestīvīs convīviīs, nātūrālis modus sēnsū.*

3. *Principal parts of: caret, dēvīcerat, rēvertar, auxit, indīxisse.*

4. *Give meaning of English words: caret, blandishment, piscatorial, sodality, convivial, potion, voluptuary.*

## 41

1. *Parse with nom. sing. and reason of case used: voluptātibus, aliquod, iūcundius, dīmētiendī, ingressum, multō, cōsulibus, diēbus, quem, senem.*

2. *Translate: māne, manē.*

3. *What do you notice peculiar about the i in potitur?*

4. *Translate: Quod sī, parvulis rēbus, tamquam pābulum, fābulam docuisset, flagrantēs, Suādae medullam, dicendō.*

## 44

1. *Principal parts of: accēdere, cōsūmpsit.*

2. *Parse: ipsīus, sedentī.*

3. *Translate: ratiōnem, cum faenore, terrae vīs āc nātūra, admīrārī.*

4. *Explain use of subjunctives*: attulissent, habērent, recēdam, possit.

5. *Explain use of infinitives*: admīrārī, esse factum.

## 47

1. *Principal parts of*: tuenda, attulisset, satae.

2. *Parse*: tuenda, quendam, ornātum, virtūtī.

3. *Translate*: rēgāle, Oeconomicus.

4. *Explain use of subjunctives*: intellegātis, vēnisset.

5. *Explain case of*: ingeniō, virtūtis, Sardēs.

6. *Explain difference in mood between attulisset and fuit, and in use between dīmēnsa and dīmēnsus.*

## 50

1. *Parse with reason for use of case*: fortunā, Corvum, omnī, mementōte, aetātī, Athēnīs, illī, quendam, quae.

2. *Translate*: levia atque commūnia, dēcēdī.

3. *Principal parts*: accēpimus, coleret, assurgī, consūlī.

4. *Explain use of subjunctives*: teneāmus, vēnisset, cum essent, recta essent.

5. *Explain use of infinitives*: perdūxisse, cōsurrexisse, nōlle.

## 53

1. *Parse with reason of case used*: aliquid, absurdus, eō, senem, aliquō.

2. *Principal parts*: intellegī, velit.

3. *Explain use of subjunctives*: velit, vīderit, timeam.

4. *Translate*: difficilēs, cōmitās, sic sē rēs habet, coacēscit, quid sibi velit.

5. *Explain meaning of*: morose, contemn, probation, option.

## 56

1. *Translate*: He hopes to live long. He wishes to live long.

2. *Explain the case of*: eō meliōre, histriōnī, nātūrā, quō proprius, adulēscentibus.

3. *Explain use of subjunctives*: sequātur, videar.

4. *Parse*: peragenda, vīvendum, dēmetendīs, secundum.
5. *Principal parts of*: partōrum, contingit.
6. *Translate*: partōrum bonōrum memoria, secundum nātūrā, quō propius ad mortem accēdam.

## 59

1. *Parse (giving nom. sing.) with reason of case used*: senibus, lāmentīs, impendentem, eō ipsō diē, disputātiōne, Brūtum, honōre.
2. *Principal parts of*: exsequī, cōsistere, profectās, reditūrās, extimēscent.
3. *Parse verbs in question 2*.
4. *Explain use of subjunctives*: dēserendum sit, cōservāret.
5. *Translate*: rectē in eā vīvitur; Solōnis ēlogium est.

## 62

1. *Explain use of subjunctives*: sentiam, tuērentur, crēderem, contineat, videantur in corporibus essent, futūrī sint.
2. *Translate*: eō melius quō propius, prūdētia, nusquam aut nūllam fore.
3. *Parse*: nōminanda, quīque, argumentō, discesserō, fore, relaxāverint.
4. *Give the reason of the case of*: deōs, nātūrā, mortī, vinculis.

## 65

1. *Explain use of infinitives*: esse cōnātōs, pertinēre, convenīre, revocārī.
2. *Explain use of subjunctives*: cernerent, velim, irrideant, veniātis.
3. *Principal parts of verbs in questions 1, 2*.
4. *Translate*: posteritātem ad ipsōs pertinēre; nec vērō velim ā calcē revocārī; quod sī in hoc errō.



## NOTES ON THE ILLUSTRATIONS

---

*Frontispiece.* **Cicerō:** from a bust in the Capitoline Museum. The features are almost certainly those of Cicero.

p. 8. **Mārcus Porcius Catō:** from a bust in the Vatican.

*Facing p. 12.* **Hannibal:** from a bust found at Capua, and preserved in the Naples Museum; identified as Hannibal, from its likeness to the medallion portrait.

p. 16. **Pyrrhus:** from a statue in the Capitoline Museum, believed to represent Pyrrhus. The right hand originally held a long spear.

*Facing p. 16.* **Appius Claudius in cūriam dēdūcitur:** from the fresco by Professor Maccari in the Palace of the Senate, Rome.

p. 19. **Nāvis Rōmāna:** from an antique gem. The galley is running with the wind; at the stern is a circular lantern; the trident is ornamental, and above it is the *pīcta puppis*, a winged figure of Victory, giving its name to the ship. The pilot is in the stern, managing a pair of steering oars; and a sailor, pulling at a halyard, shifts the sheets (*pedēs*) of the primitive sail.

p. 20. **Sophoclēs:** from a marble statue, of more than life size, in the Lateran. Behind the right foot is a *scrīnium*, or *capsa*, (a modern restoration) containing rolls of manuscript.

p. 21. **Agricola et arātrum**: from a Roman relief at Arlon in Luxembourg. The oxen draw the plough not by a yoke, but by bands across their foreheads.

p. 23. **Puerī in lūdō discunt**: from a vase painting. Lessons are being given in the flute and in writing (or drawing?). The man with a stick may be a master or a parent. On the wall hang a basket, a satchel, and other objects.

*Facing* p. 26. **Homērus**: from a bust in the Naples Museum. Ancient legend tells us that the poet was blind, as this bust represents. The portrait is of course imaginary.

p. 27. **Olympia**: imaginary reconstruction by R. Bohn, showing Temple of Zeus in foreground, and in the background the hill of Cronus. The Stadium lay behind the buildings shown in the picture.

*Facing* p. 28. **P. Scipiō Africānus**: from a bronze bust at Naples, which was disinterred at Herculaneum.

p. 31. **Cēna**: from a vase in the British Museum. It will be noticed that the guests are reclining on couches.

*Facing* p. 33. **Platō**: from a bronze bust in the Naples Museum.

*Facing* p. 34. **Curiō . . . repudiātī sunt**: from a fresco by Professor Maccari in the Palace of the Senate, Rome.

p. 37. **Cȳrus venātur**: *Compte-rendu de la Commission archéol.*, 1866. Pl. IV.

p. 40. **Theātrum**: ruins of the Theatre of Dionysus, Athens. Partly built and partly dug out of solid rock, this theatre could accommodate the whole body of Athenian citizens, and was reputed to be the most beautiful theatre in the world.

*Facing* p. 48. **M. Atilius Regulus ad Africam redit**: from the fresco by Professor Maccari in the Palace of the Senate, Rome.

p. 50. **Circus Rōmānus**: modern athletes will be struck by the awkward corner at each *meta*, the cause of frequent accidents.

p. 57. **Frāgmentum nāvis antiq̄uae**: bronze figure-head in the British Museum, dredged up at Actium. The illustration does not, of course, represent a fragment of Jason's ship.

p. 63. **Puer cum cane ambulāns**: young Athenian walking with Melitæan dog. This kind of dog, not unlike a Pomeranian, is often found depicted upon vases. Vase-painting from *Ann dell' Ist.*, 1852 T.

p. 64. **Cerberus**: a small bronze, from Egypt (?). It is thought by some to represent the Egyptian god Serapis; but the figure is very like that of a three-headed Cerberus sitting at the feet of the Vatican statue of Pluto (Hades), a picture of which is given in Smith's *Class. Dict.*

p. 67. **Caupō aquam cum vinō miscet**: from a *cippus*, or tombstone, in the Bourges Museum.

p. 69. **Nautae vēla contrahunt**: merchant vessel at sea, from a relief on a grave at Pompeii.



# VOCABULARY



## VOCABULARY

ā, ab (*prep.* + *abl.*), by, from.

**A. U. C.** = *annō urbis conditae*,  
from the foundation of the city.

abhinc, hence, ago.

ab-rogō, -rogāre, &c., annul, repeal.

absēns, absentis, *adj.* absent.

abs-tergō, -tergere, -tersi, -tersum,  
wipe away.

abs-trāhō, -trāhere, -traxī, -trac-  
tum, draw away.

ab-sum, -esse, -fuī, be absent, dis-  
tant.

absurdus, *adj.* absurd.

abundē, *adv.* abundantly.

abund-ō, -āre, &c., abound.

ac, *conj.* and.

ac-cēdō, -cēdere, -cessi, -cessum,  
approach.

ac-cēdō ad, &c., be added to.

ac-cidō, -cidere, -cidi, happen.

ac-cipiō, -cipere, -cēpi, -ceptum (Ī),  
receive, learn, take to mean.

ac-commōd-ō, -āre, &c., fit.

ac-cūs-ō, -āre, &c., accuse, blame.

ācer, ācris, ācre, *adj.* sharp, swift,  
keen.

acerbi-tās, -tātis, *f.* bitterness.

acerbus, *adj.* bitter.

acervus, *m.* heap.

act-us, -ūs, *m.* act of a play.

ad (*prep.* + *acc.*), to.

ad-discō, -discere, -didici, to learn  
also.

addō, addere, addidi, additum =  
add.

ad-dūcō, -dūcere, -dūxi, -ductum,  
to induce.

Adelph-i, -ōrum, *m.* the Brothers  
(Greek).

ad-ferō. See *afferō*.

adipiscor, adipiscī, adeptus sum  
(*dep.*), get possession of, gain.

administr-ō, -āre, &c., assist, per-  
form.

admīrābil-is, -is, -e, *adj.* admirable.

admīror, -mīrāri, -mīrātus sum  
(*dep.*), wonder at.

admodum, *adv.* considerably.

ad-spiciō, -spicere, -spexi, -spectum,  
look at.

ad-sum, -esse, -fuī, be at hand.

adulēsc-ēns, -entis, *m.* young man.

adulēscēnti-a, -ae, *f.* early manhood.

adulēscēntulus, *m.* youth, young  
man.

adultus, *adj.* grown up, adult.

advent-ō, -āre, &c., approach.

advent-us, -ūs, *m.* arrival.

ad-versor, -versāri, -versātus  
(*dep.*), oppose.

adversus, *adj.* opposite; *rēs adver-*  
*sae*, adversary.

aedēs, aedis, *f.* building.

aedific-ō, -āre, &c., build.

Aegaeus, *adj.* Aegean (name given  
to Grecian Archipelago).

aegrōt-ō, -āre, &c., be ill.

Aemiliānus, *m.* Aemilianus.

aequāl-is, -is, -e, *adj.* equal, even,  
contemporaneous.

aerātus, *adj.* brazen.

aes, aeris, *n.* copper, brass (*pl.* =  
money).

aestus, aestūs, *m.* heat, tide, heaving  
of the sea.

aetās, aetātis, *f.* age, life.

aeternus, *adj.* everlasting.

Aetn-a, -ae, *f.* volcano in Sicily.

af-ferō, -ferre, attulī, allātum, bring  
to, forward.

af-fligō, -fligere, -fixi, -fictum, afflict, bring down.  
 af-flō, -flāre, &c., breathe on.  
 Africānus, *adj.* of Africa.  
 Agamemnōn, Agamemnonis, *prop. noun*, Agamemnon.  
 ager, agri, *m.* field, district.  
 agit-ō, -āre, &c., toss, blow about.  
 agmen, agmin-is, *n.* an army on the march.  
 agnus, agni, *m.* lamb.  
 agō, agere, ēgī, āctum, act, do, spend, drive.  
 agricol-a, -ae, *m.* farmer.  
 agricultūr-a, -ae, *f.* agriculture.  
 Aiāx, Aiācis, *m. prop. noun*, Ajax.  
 āiō (āis, ait, . . . aiunt), *defective verb*, say.  
 alacer, alacris, alacre, *adj.* brisk, lively.  
 albēscō, albēscere, become white.  
 albus, *adj.* white.  
 aliās, *adv.* at other times.  
 aliquandō, *adv.* sometimes, at length.  
 aliqui, aliqua, aliquod, *adj.* some.  
 aliquis, aliquis (-qua), aliquid, *pron.* someone, something.  
 aliquō, *adv.* (to) somewhere.  
 aliter, *adv.* otherwise, in another manner.  
 alius, alia, aliud, *adj.* other.  
 alter, altera, alterum, *adj.* the other (of two; econd.  
 altus, *adj.* high, deep.  
 amārus, *adj.* bitter.  
 ambitiōsus, *adj.* ambitious.  
 ambō, ambae, ambō, *adj.* both.  
 ambul-ō, -āre, &c., walk.  
 amicē, *adv.*, in a friendly manner, gladly.  
 amicitia, *f.* friendship.  
 amicus, *m.* friend.  
 amicus, *adj.* friendly.  
 āmisit. See *āmittō*.  
 ā-mittō, -mittere, -misi, -missum, lose.  
 am-ō, -āre, &c., love.  
 amplus, *adj.* ample, honourable.  
 an, *inter. particle*, whether, or.  
 Andragorās, *m. prop. noun*, Andragoras.  
 angō, angere, ānxi, ānxum, to cause pain to.

angu-is, -is, *m.* and *f.* snake.  
 angustus, *adj.* narrow; rēs angustae, poverty, straitened circumstances.  
 anima, *f.* soul.  
 animal, animālis, *n.* animal.  
 animōsus, *adj.* full of courage.  
 animus, *m.* mind, soul.  
 annus, *m.* year.  
 ante (*adv.* and *prep.* + *acc.*), before.  
 antea, *adv.* before.  
 antehāc, *adv.* before (this).  
 antequam, *conj.* before.  
 antiquus, *adj.* ancient, of times past.  
 ānxie-tās, -tātis, *f.* anxiety.  
 ānxius, *adj.* anxious.  
 aper, apri, *m.* wild boar.  
 aperiō, aperire, aperui, apertum, open.  
 apex, apicis, *m.* highest point.  
 Apoll-ō, -inis, *m.* the god Apollo.  
 ap-pāreō, -pārere, -pāruī, -pāritum, appear, show oneself.  
 ap-pell-ō, -āre, &c., call, name.  
 ap-petō, -petere, -petivi, -petitum, make for.  
 Appius, *m. prop. noun*, Appius.  
 ap-pōnō, -pōnere, -posui, -positum, place near, supply.  
 appropinquātiō, -nis, *f.* approach.  
 April-is, -is, the month of April (*orig. adj.*).  
 apt-ō, -āre, &c., fit on.  
 apud (*prep.* + *acc.*), among, at the house of, according to.  
 Apūlia, *f. prop. noun*, Apulia, a province in Lower Italy.  
 aqua, *f.* water.  
 Aquārius, the Water Bearer (one of the signs of the Zodiac).  
 arātrum, *n.* plough.  
 arbitror, arbitrāri, arbitrātus, thiuk.  
 arbor, arbōris, *f.* tree; arbor nūda, tree devoid of leaves.  
 ar-cessō, -cessere, -cessivi, -cessitum, summon.  
 Archytās, Archytāe, *m. prop. noun*, Archytas.  
 arc-us, -ūs, *m.* bow.  
 ārea, *f.* vacant space, threshing-floor.  
 argentum, *n.* silver. [ship.  
 Arg-ō, -ūs, *f.* the name of Jason's



argūmentum, *n.* argument.  
 arm-a, -ōrum, *n.pl.* arms.  
 armātus, *adj.* armed.  
 ar-ō, -āre, &c., plough.  
 ar-ripō, -ripere, -ripuī, -reptum  
 (Ī), snatch, seize.  
 ars, artis, *f.* art; *pl.* accomplish-  
 ments.  
 Arūns, Aruntis, *m. prop. noun,*  
 Aruns.  
 arvum, *n.* field.  
 arx, arcis, *f.* citadel.  
 as, assis, *m.* an as (originally 1 lb.  
 of copper, value about 8*d.*).  
 as-cendō, -cendere, -cendī, -cēsum,  
 ascend.  
 aspectus, aspectūs, *m.* aspect.  
 asper, aspera, asperum, *adj.* rough.  
 aspicō. See *as-*.  
 as-sequor, -sequī, -secūtus (*dep.*),  
 catch up attain.  
 assiduus, *adj.* diligent.  
 as-surgō, -surgere, -surrēxī, -sur-  
 rēctum, to rise in the presence of  
 another.  
 astrologus, *m.* astronomer.  
 at, *conj.* but.  
 āter, ātra, ātrum, *adj.* black.  
 Athēniēns-is, -is, -e, *adj.* Athenian.  
 athlēt-a, -ae, *m.* athlete.  
 Atilius, *m. prop. noun,* Atilius.  
 atque, *conj.* and.  
 atquī, *conj.* and yet.  
 Atrectus, *m. prop. noun,* Atrectus.  
 Attalus, *m. prop. noun,* Attalus.  
 Atticus, *m. prop. noun,* Atticus.  
 attulērunt. See *afferō*.  
 auctiō, auctiōnis, *f.* auction, sale.  
 auctōri-tās, -tātis, *f.* authority, in-  
 fluence.  
 audācia, *f.* boldness, impudence.  
 audāx, audācis, *adj.* bold.  
 audeō, audēre, ausus (*semi-dep.*),  
 dare.  
 audiō, audīre, audīvī, auditum,  
 hear.  
 auferō, auferre, abstulī, ablātum,  
 remove, take away.  
 augeō, augēre, auxī, auctum (*ac-*  
*tive*), increase.  
 augur, auguris, *m.* augur; a priest  
 who foretold events by means of  
 birds.

Augustus, *m. prop. noun,* Augustus.  
 aula, *f.* court, hall, palace.  
 aureus, *adj.* golden.  
 aurum, *n.* gold.  
 auspiciū, *n.* auspice, omen.  
 auster, austrī, *m.* south wind.  
 ausus. See *audeō*.  
 aut, *conj.* or (aut...aut = either...  
 or).  
 autem, *conj.* but, however.  
 autumnus, *m.* autumn.  
 auxilium, *n.* help.  
 avāritia, *f.* avarice.  
 avārus, *adj.* greedy.  
 ā-vellō, -vellere, -vulsī, -vulsum,  
 tear away.  
 avidē, *adv.* eagerly.  
 avidi-tās, -tātis, *f.* greed, eagerness  
 for.  
 avis, avis, *f.* bird.  
 avitus, *adj.* belonging to a grand-  
 father (*avus*).  
 Avitus, *prop. noun,* Avitus.  
 avus, *m.* grandfather.  
 baculum, *n.* stick, staff.  
 beātus, *adj.* happy, blessed, fortune-  
 nate.  
 bellē, *adv.* prettily, finely.  
 bellicōsus, *adj.* warlike.  
 bell-ō, -āre, &c., make war.  
 bellum, *n.* war.  
 bellus, *adj.* fine, pretty.  
 benē, well.  
 benignus, *adj.* kind.  
 bestia, bestiae, *f.* beast.  
 bibō, bibere, bibī, drink.  
 bīn-ī, -ae, -a, *adj.* two at a time.  
 bīs, *adv.* twice.  
 blaesus, *adj.* lisping, stammering.  
 blandus, *adj.* (*comp.* blandior,  
 blandius), flattering, charming.  
 bon-a, -ōrum, *n.pl.* goods, property.  
 bonum, *n.* a good thing.  
 bonus, *adj.* good.  
 bōs, bōvis, *m.* ox.  
 brevior, brevis, *comp. adj.* shorter.  
 brev-is, -is, -e, *adj.* short.  
 brevissimus, *superl. adj.* shortest.  
 brūma [from *brevissima*], *f.* winter.  
 Brūtus, *m. prop. noun,* Brutus.  
 Cadmus, *m. prop. noun,* Cadmus.

Caeciliānus, *m. prop. noun*, Caecilianus.  
 Caecilius, *m. prop. noun*, Caecilius.  
 caecus, *adj.* blind.  
 caed-ēs, -is, *f.* slaughter.  
 caelest-is, -is, -e, *adj.* heavenly.  
 caelum, *n.* heaven, sky.  
 Caesar, Caesaris, *m. prop. noun*, Caesar.  
 caesp-ēs, -itis, *m.* sod of turf.  
 Callistrātus, *m. prop. noun*, Callistratus.  
 Calvinus, *m. prop. noun*, Calvinus.  
 calx, calcis, *f.* chalk.  
 candidus, *adj.* white.  
 cān-is, -is, *m.* and *f.* dog.  
 Cannae, Cannārum, *f. pl.* Cannae (town in Apulia, Italy).  
 Cannēns-is, -is, -e, *adj.* pertaining to Cannae.  
 canō, canere, cecinī, cantum, *sing.* play.  
 cantus, cantūs, *m.* singing, crowing.  
 cānus, *adj.* white.  
 capillus, *m.* hair.  
 capiō, capere, cēpī, captum (Ī), seize, hold, contain.  
 capitāl-is, -is, -e, *adj.* fatal, deadly (*caput*).  
 captivus, *m.* prisoner.  
 Capua, *f. prop. noun*, Capua, a city of Italy.  
 caput, capitīs, *n.* head.  
 carcer, carceris, *m.* prison, stall.  
 careō, carēre, caruī (+ *abl.*), lack, be without.  
 carīna, *f.* keel, boat, ship.  
 cārissimus, *superl. adj.* dearest.  
 carmen, carminis, *n.* song, poem.  
 carō, carnis, *f.* flesh.  
 Carthāgō, Carthāginis, *prop. noun, f.*, Carthage, a city in Africa.  
 cārus, *adj.* dear.  
